R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
DI FIRENZE

OPERE BIBLIOGRAFICHE E BIOGRAFICHE

RACCOLTE DAL

DOTT. DIOMEDE BONAMICI

di Livorno (1823-1912)

Novembre 1921.

Digitized by Google

MEMORABILIA
ITALORVM
ERVDITIONE PRAESTANTIVM
QVIBVS VERTENS SAECVLVM GLORIATVR.

IO. LAMI
MEMORABILIA
ITALORVM
ERVDITIONE PRAESTANTIVM
QVIBVS VERTENS SAECVLVM
GLORIATVR.

TOMI II. PARS I.

FLORENTIAE. MDCCXLVII.

Ex Typographio ad Plateam Sanctae Crucis.

CVM ADPROBATIONE.

Digitized by Google

NOBILISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
VIRO
ANDREAE QVIRINO
PATRICIO VENETO
ERVDITISSIMO. OMNIGENIS
VIRTVTIBVS ORNATISSIMO.
LITTERARVM BONARVMQVE ARTIVM
FAVTORI MVNIFICO
DOMINO MEO MAXIME OBSERVANDO
IO. LAMIVS
DEDICO, CONSECROQVE.

MORIS eſt apud omnes, ANDREA QVIRINE, eruditis lucubrationibus in lucem prodituris Patronum aliquem eximium, inluſtrem, potentem,

quaerere, cuius praeclaro nomine inſignitae refulgeant; munitae protectione incolumes gaudeant; gratia, favore, auctoritate, confirmatae vigeant, atque edacis temporis ſecurae perennent. Huiuſmodi enim patrocinio iniuſtis obtrectatorum, & male feriatorum hominum, non tam cenſuris, quam maledictis, ereptae, tutae atque alacres ad celebres Virorum litteratorum coetus accedunt, & ab iis probantibus & plaudentibus benigne iucundeque excipiuntur; & in Gloriae templum admiſſae rite concorditerque immortalitati conſecrantur. Mihi igitur, quum hunc libellum publici iuris facturus eſ-

ſem,

ſem, de tali Patrono eligendo cogitanti, atque animi meditabundi aciem in diverſa convertenti, TV tamdem occurriſti, ea nobilitate conſpicuus, eruditione praeſtans, virtute ac dignitate praecellens, ut TIBI, Tuoque inclito Nomini, inſcriptam commentationem auſpicatiſſime vulgaturum me eſſe conſiderem. Si enim in egregia Tuae Gentis eminentiſſimae decora inquirere velim, a quam remota vetuſtate generis Tui principia repetenda mihi fuerint! quanto rerum praeclare geſtarum ſplendore, domi militiaeque, Gens Tua quacumque aetate coruſcavit! Quanta immortales domus tuae

laudes certorum monumentorum fide, & concordi claſſicorum hiſtoricorum teſtificatione poſterorum memoriae tranſmiſſae ſunt! At dum iſta omnia eximiae Tuae nobilitatis inſignia memori animo revolvo, ac ſubſpicio, nihil tam me movet, quam quod opuſculum Tibi nuncupandum, qualecumque demum ſit, eiuſmodi eſt, quod Te capere ac delectare maximopere valeat; quum ea contineat, quae Tibi in memoriam veroſimiliter revocatura ſint, quam longa Virorum eruditiſſimorum ſeries Domui Tuae non adeo commune decus attulerit, ſeſeque doctrinae ac ſapientiae alis tollens ac ſublime

me efferens victrix per homi-
num ora circumvolet. Com-
mentarius enim hic Italorum
quorumdam ſcientia & erudi-
tione praeſtantium res memoria
dignas, ac monumenta, com-
plectitur; quae dum leges, taci-
tum Tibi pectus gaudia perten-
tabunt; ſiquidem in mentem ve-
niet, quot in ſolis Qvirino-
rvm eruditorum elogiis con-
texendis iuſtae molis volumi-
na inſumi & occupari potuiſ-
ſent; quum Tua Gens, non
tam inluſtris praeſtantiſſimorum
civium coetus, quam doctiſſimo-
rum hominum agmen denſiſſi-
mum fuerit. Quodcumque enim
liberalium diſciplinarum, egre-
giarumque artium & doctrina-

rum genus conſiderem, in quolibet Gentilis aliquis Tuus ſeſe mihi obfert, praeſtanti ingenio, animi cultu, & praeclariſſimarum rerum cognitione, ſubſpiciendus. Tales enim *Nicolaus*, *&* *Ioannes*, illi vetuſtiores; tales *Laurus*, *Vincentius*, *Hieronymus*, *Franciſcus*, *Leonardus*, *Antonius*, aliique, magis virtutes, quam nomina, qui, ſeu politioris litteraturae elegantia conſpicui, ſeu Muſaei leporis ſuavitate cenſendi, ſeu medulla Suadae & flumine orationis manantes, ſeu graviorum doctrinarum ſublimitate commendabiles, QVIRINVM nomen longe lateque celebre ac famigeratum reddiderunt. Si

au-

autem ad civilem ſcientiam, quae populis ac civitatibus omnium utiliſſima eſt; ſi ad militarem peritiam, quae temporibus difficillimis maxime neceſſaria merito reputatur; ſi denique ad eam facultatem, quae in maritimis expeditionibus regendis, proſpereque moderandis, exſeritur, peculiariter me convertam, quot prope homines in QVIRINA Gente per longam revolutorum ſaeculorum ſeriem enumerantur, tot Senatores, provinciarum Praeſides, copiarum Imperatores, Ductores claſſium, ſapientiſſimi deprehenduntur. Sed hos omnes miſſos faciam, utpote qui amoeniorum litterarum, & elegan-

tioris eruditionis, cultores perſequor, quorum etſi tam magna copia mihi non aliunde ſubpeteret, infinitorum propemodum inſtar mihi eſſet Patruus ille tuus Eminentiſſimus, ANGELVS MARIA, S. R. E. Cardinalis ampliſſimus, beneficentiſſimus Brixianae Civitatis Epiſcopus, Monachici Ordinis decus & ornamentum ſplendidiſſimum, qui Graecarum Latinarumque litterarum cultor eximius, Philoſophus & Theologus praeſtantiſſimus, ſacrae profanaeque hiſtoriae & antiquitatis omnis conſultiſſimus, mirabilem doctrinarum circuitum ſibi feliciter fortunateque comparavit, ut merito tamdem

S.

S. R. E. Bibliothecarius exſiſteret; aurea non unius generis & argumenti volumina publici iuris faceret; eius laudibus, praeconiis, plauſibus, non Italia tantum noſtra, ſed remotiores etiam provinciae, atque Europa univerſa, perſonaret. Grande Tibi, Andrea Quirine, & domeſticum, & ante oculos adſidue verſans, exemplum, haec ἔμψυχος Βιβλιοθήκη καὶ Μουσεῖον περιπατοῦν, quo excitatus felicem cognitionum proventum, praecipuum liberalium diſciplinarum bonarumque artium amorem, non vulgarem eruditionem, & florentem poeticae elegantiae gloriam, quaerere & conſequi ſolenne ha-

bes, ut doctorum QVIRINORVM numerum augeas, & laudem ab omnibus, & quod plurimi faciendum eſt, ab adgnato ipſo, & tanto, Cenſore merearis. Nonne is fuit, qui TIBI convenire illud adfirmavit, quod Gentili Tuo *Lauro* olim *Franciſcus Barbarus*, vir graviſſimus & diſertiſſimus, ſcripſerat: *Video Te ſic in otio negotioſum eſſe, ut in negotio poſſis eſſe otioſus; & tempus iſtud, quod multi quoque Togati ad inanes ludos, & ſpectacula, & bacchanalia, referunt, pro tua diligentia ad ſtudia humanitatis, & doctrinae, contuliſſe?* At quum talis ac tantus ſis; quum tot laureatae imagines tua atria exor-

exornent ac decorent; quum Patruus ipſe tuus, ingens ſit praeſentibus futuriſque Scriptoribus argumentum; nonne aliqua cum voluptate libellum hunc meum evolves, qui eruditorum hominum vitas elogiaque complectens, quid Maiores Gentileſque Tui, quid Adgnati, quid TVTE ipſe, doctiſſimi omnes, mereamini, quantam hiſtoriae materiam ſubpeditetis, facile recolenti omnino ſubgeret, & exemplar ob oculos ponet nobilioris operis, quod non tam QVIRINORVM vitas, quam Muſarum ac Sapientiae laudes & praeconia concelebret? At ſi illa omnia ad pacato tranquilloque vultu hoc

meum

meum munuſculum excipiendum, minus Te moverint; moveat ſaltem ingenita illa animo Tuo humanitas, qua omnium benevolentiam & amorem Tibi concilias; moveat obſerentis animus honore, quo poteſt, virtutem & dignitatem Tuam proſequentis; moveat tandem infelix commentarioli noſtri conditio, ſi ei Patronus & Fautor deſit, qualis Tv es; qui unus eum tua auctoritate ab vitilitigatorum calumniis vindicare, & tutum atque inviolatum ſervare & cuſtodire, facillime potes; ideoque Tibi felicia fauſtaque omnia a Deo Opt. Max. ex animo precor. Dabam Florentiae KL. Quinctil. Anno MDCCXLVII.

MEMORABILIA ITALORVM

ERVDITIONE PRAESTANTIVM

Quibus vertens Saeculum gloriatur.

HORATIVS PACIFICVS.

Auctore Anonymo.

PRaeceptam de fratribus opinionem, (*Plin. lib. XI. cap. LI.*) eos nempe fere numquam faciem, omnino numquam moribus convenire, ſicubi falſam eſſe experientia docuit, id profecto in *Horatio Pacifico, Matthaeoque* germanis fratribus uſuvenit: ambo enim eadem ingenii indole, morumque unanimitate, paene a pueris hic florum, ille litterarum, amoenitatem amavit. Siquidem opes a maioribus quaeſitas ſicuti ſtultorum eſt imminuere, ita non cupidorum hominum eſt nolle augere: hi utique ſua contenti fortuna, nec gloriam, nec divitias ambire; ſed ſibi, ſuiſque,

reique familiari tantum adminiſtrandae, amicisque iuvandis incumbere. *Matthaeus* etiam, qui adhuc in vivis degit, ingenio loci, aeriſque ſalubritate invitatus, quo in Neapolis ſuburbiis nullus eſt *Pacificorum* aedibus praeſtantior locus, curam omnem in omnis generis floribus, impendio etiam longe petitis, plantandis colendiſque adhibuit adhibetque: ut verno tempore omnium prope procerum identidem nobiliumque matronarum frequentia hortus, domuſque quotidie ornetur ac celebretur. Parentes illis fuere *Ioſephus Antonius Pacificus*, & *Angela de Marco*, utrique honeſtiſſimis Neapolitanis familiis priſcarum gentium. *Horatius* autem maximus ſtirpis, de quo hic ſermo inſtituitur, Pridie Nonas Septembr. Anno MDCLXXXVIII. in lucem editus, ut primum e Grammaticorum ſalebris elapſus ad humaniorum ſeſe litterarum amoenitatem contulit, vix credibile quantum in illis profecerit. Animi enim lenitate quadam inſita, ingeniique feſtivitate ad amoeniora ſtudia agebatur. Vixque egreſſus ex ephebis, paterna cura ab optimis ſuae aetatis praeceptoribus edoctus talia ſcripſit carmina vel Latina vel Italica lingua, ut & doctioribus viris eſſet admirationi. Inde ad Phyſicarum rerum contemplationem tranſgreſſus, ſeverioribus ſe immiſcuit ſtudiis, *Renati Carteſii* ſectam profeſſus, ſub haud poenitendo magiſtro *Philippo Violantio*, Poloniae nunc Regis Medico praeclariſſimo. Verum quum quantae neceſſitatis ſit viro naturalem ſapientiam adfectanti Mathematicas diſciplinas

nas praenoſſe ex librorum ſedula lectione didiciſſet, e matheſi quoque, unius ingenii ſui ope, tantum deguſtavit, quantum vel ad intima quaeque non modo Gaſſendicarum Atomorum, ſed & *Lockii*, & *Nevvtonis* ſubtiliſſima commenta affatim notionum ſuppeteret; illuſtria quorum opera modo in Italicam ex Gallica lingua interpretando, modo ſuis meditationibus commentando, tantum profecit, ut nulli in Philoſophica re foret ſecundus. Exſtant non pauca eius ſcripta tum in hac naturali ſapientia, tum in aliis quoque rebus penes *Ioſephum* maiorem natu filium, optimi patris exemplo litteris deditum magna ſpe adoleſcentem; quae inter non contemnendum locum obtinent carmina Italice conſcripta. Haec quidem, quae ſparſa in diverſis Carminum libris leguntur, nuptiarum, aliave de cauſſa compoſitorum, vel inſcripto proprio auctoris nomine, vel *Critei Chilonii*, quod ei nomen inditum ob merita inter Arcadas cooptato, non pauca ſunt. Quibus ſi complura alia adiicerentur, quae adhuc inedita domi adſervantur, iuſtum conficerent librum. Viri tamen ingenito quodam pudore, numquam niſi demiſſe de ſe ſuiſque rebus ſentientis factum, ut adhuc eius, quae recenſui, ſcripta, publica luce careant: fortaſſe, ne tantus pereat labor, propediem filio, quem ſupra dixi, curante proditura. Quod vero in clariſſimi viri lucubrationibus magnopere elucet, eſt nitor quidam incomparabilis, delectuſque verborum, facilitaſque ſermonis; ut & in ſcribendi ratione

 can-

candidi animi imaginem, morumque integritatem facile cognoſcas. Quum namque optimum dicendi genus, ex ſententiarum, verborumque delectu conſtet; mentem ad ſapientiſſima quaeque excogitanda ſua ſponte efformatam veterum libris lectitandis excoluerat perfeceratque: at ſibi ſtilum ex optimis quibuſque Italicae linguae Scriptoribus iugi lectione comparaverat; ad eamque elegantiam labore ſtudioque pervenerat, Neapoli licet ortus educatuſque, quo pauci Florentiae, non immerito hoc nomine inter primores numerandus. Ad haec, quae ad ſui ipſius eruditionem, animique ornamentum adeptus erat, Iuriſprudentiam adiecit, qua iuvenes ad reipublicae adminiſtrationem inſtituuntur; eam ab *Nicolao Capaſſo* clariſſimo Iuriſconſulto edoctus. Iuris deinde utriuſque laurea admodum iuvenis ornatus, veterum Prudentum reſponſis, Principumque edictis intelligendis ediſcendiſque incubuit: pleraſque forenſes orationes elegantiſſimo ſtilo ſcriptitavit. Attamen quietis amor a forenſi contentione virum ceteroqui animi pacatiſſimi avocavit. Tantumque ſe publicis immiſcuit curis, quantum humanitati ſuae ad pauperes, alioſque alienae opis egentes, ſublevandos foret ſatis. Sic tamen, ut tutus eſſet receptus, quum libuiſſet, ad domeſticum otium atque ad lectiſſimam Bibliothecam non parva impenſa comparatam, cui in amoeniſſimos hortos pateret aditus. Hic ſcribendo legendoque plerumque vitam degens, nihili habuit mundanas res: honoreſque ab aliis ſummopere expe-

pe-

petitos, ipſi vero a primoribus civitatis non ſemel oblatos, conſtantiſſime recuſavit. Quippe ex Romana Graecaque & Chriſtianae quoque Religionis hiſtoria, cuius ſummo amore tenebatur, tum noſtratis Neapolitanae, aliiſque recentiorum nationum, ac praeſertim Florentinae, cuius in primis, linguae etiam deſiderio, ſtudioſiſſimus fuit, didicerat vir ſapientiſſimus, quibus iactati ſeditionum fluctibus priſci illi viri principes civitatum, non inquam tantummodo factioſi, qui poenam commeriti, ſed & frugi, publiciſque commodis conſulentes, in exſilium acti vix evaderent, & quandoque ſaevis tempeſtatibus obruti exanimarentur; nimiumque cives ſuos iuvandi ſtudium immerito fato luerent. Diem obiit ſupremum anno MDCCXXXXII. nonis Maiis, annos natus LII. menſes octo; poſtquam longinquo gravique morbo fuerat implicitus. In quo tam invictae conſtantiae ſpecimen dedit, inter cetera mala identidem variis in corporis partibus decem & ſeptem ſectiones perpeſſus, ut ne verbum quidem incommodum tot inter cruciatus doloreſque eius ore exciderit. Tantum potuit in Chriſtiano viro ad ſapientiam nato inveterata animi conſuetudo. Dira fati neceſſitas amicis diuturnum reliquit amici deſiderium, neceſſariis dolorem incomparabilem. Ex his, quae narravi, facile quis intelligat *Horatii* mores, eiuſque vitae rationem. Dictis factiſque honeſtiſſimus, ne ioco quidem quid umquam dixit, quod vel minimum quid obficeret pudori. In egenos miſericors, in Deum

 pien-

pientiſſimus, amicorum diligentiſſimus, eorumque commodis providens, ut ſaepe & domeſticas res, &, quod caput eſt, valetudinem ſuam negligeret, facilis adeuntibus, comis adloquentibus. Ex habitu ad bonum, qui altas fixerat in eius animo radices, ſaepe naturae credita ſunt bona, quae fuerant virtutis. Praecipue lenitas in eo ſupra quam dici poteſt: ut numquam toto vitae curriculo tot inter aerumnas, quibus quotidie humana vita adflictatur, patrem familias iraſci viſum miraculo fuerit. Hinc factum, ut propter hilaritatem, comitatemque, morumque ſuavitatem, variamque eruditionem, in principum virorum, matronarumque conventibus expeteretur: & in eius aedes amicis commeantibus quotidie fores paterent. Statura fuit procera erectaque: habitu corporis paullo pleniore: liberali facie, colore candido, oculis ſubflavis, vultu aſpectuque hilari ac leni. Oris maieſtas facile animi magnitudinem aperiret. Ad haec tot tantaque animi, fortunae, naturae bona, ſua ipſius mens ſeipſa contenta, litterarum otio gaudens, turbas omnino vitans in mora fuit, ne ſummos in republica honores adſequeretur.

VIN-

VINCENTIVS VIVIANIVS.

V*Incentius Vivianius*, Nobilis Florentinus, ortus eſt Florentiae Nonis Aprilis anno MDCXXII. Eius parentes *Iacobus*, *Michaelis Angeli* F. *Vivianius Francus*, & *Maria Alamanni* F. *de Monte*, Patricii Florentini, fuerunt. Humanis litteris in Collegio Ieſuitarum Florentino operam dedit; & ſub *Sebaſtiano* a *Petra Sancta* Minorita, Philoſophiae in Coenobio Omnium Santorum Profeſſore, ſexdecim annos natus Logicen didicit; a quo nullam Geometria potiorem eſſe Logicam audivit. Geometrae, qui ne hac quidem tempeſtate redundant, perrari tunc erant; adeo ut Florentiae unus tantum Matheſin profiteretur. Fuit hic *Clemens a S. Carolo* Clericus Scholarum Piarum, auditor *Franciſci a S. Ioſepho* eiuſdem Ordinis Geometrae, & Principis *Leopoldi* ab Etruria, deinde Cardinalis, Praeceptoris; cuius eſt opus *De directione fluminum*, quod ſub *Famiani Michelini* nomine prodiit. Ille primum in Mathematicis diſciplinis *Vivianio* facem praetulit, qui vix primas Elementorum Euclidis propoſitiones percepit, adeo per ſe in hoc ſtudio progreſſus eſt, ut totum librum quartum, nullo docente, legerit atque comprehenderit; ingeniique praeſtantiſſimi ſpecimen *Ferdinando* II. Magno Duci, Liburni tunc verſanti, ſoluto problemate, luculentiſſimum dederit. Magnus *Galilaeus* tunc perſenex erat; iacturamque oculorum, quibus novum

 (que-

(quemadmodum ipſe aiebat) caelum detexit, iam fecerat. Nihilo tamen ſecius Mathematicis, quae mirum in modum adamavit atque illuſtravit, ne oculis quidem captus, valedixit. Adoleſcentium, qui ſibi oculorum inſtar eſſent, ope indigebat. Vix ſolidum annum Geometriae operam dedit *Vivianius*, quum ſuo eum contubernio *Galilaeus* dignatus fuit, atque ipſum anno MDCXXXIX. quadantenus adoptavit. Tribus circiter poſt annis convictu quoque ſuo celebrem *Evangeliſtam Torricellium* dignum duxit, atque ad tres menſes LXXVII. annos natus interiit. Huius quidem ſummi ingenii viri nomen multis ſemper magni momenti inventis, quibus Neotericorum innititur Philoſophia, praefixum uſque conſpicietur. Ab anno igitur XVI. uſque ad viceſimum *Galilaeo Vivianius* convixit. Quum ad ſcientiam aptus natus eſſet, atque illo vivido ſpiritu, qui ex iuventae flore oritur, abundaret; nil mirum eſt, quod in tanti viri lectionibus maximopere profecerit. Illud oppido mirandum magis, quod licet eius viridis aetas a ſenio *Galilaei* longiſſimo intervallo diſtaret; ipſe tamen praeſeferente quamdam amoris ſpeciem benevolentia Magiſtrum proſequeretur. Diſcipulum, ac poſtremum (quum *Torricellio* ſuperſtes fuerit) Magni *Galilaei* Diſcipulum ſe paſſim vocat; ſemper pro re nata, nonnumquam etiam intempeſtive (quod quanto in *Galilaeum* ſtudio flagraverit, oſtendit) de eodem verba facit. Enimvero non ut Magiſtri ſui laudum particeps quodammodo fiat, ſed ut amorem ſuum

erga

erga illum teſtetur, eumdem opportune, importune commemorat. *Galilaeo* vita functo, *Evangeliſtae Torricellio* adhaeſit, eumque fidus auditor & amicus perpetuo coluit, & una cum eo ſpatium in tubo hydrargyri ope vacuum reddere excogitavit, multaque de hoc invento deinde commentatus eſt. Ita *Vivianius* duos treſve annos in Geometriam iugiter impendit, quo tempore & pingendi delineandique peritiam ſub *Baccio de Blanco* adeptus eſt, & *Divinationem ſuper Ariſtaeum* animo volutabat. Quod ut in bono lumine collocetur, veterum Geometrarum hiſtoria altius repetenda eſt. *Pappus*, Alexandrinus, imperante *Theodoſio* Mathematicus, de quodam *Ariſtaeo*, quem *Veterem* vocat, ut ab alio *Ariſtaeo* iuniore ſecernat, ſermonem alicubi inſtituit. *Ariſtaeus* ſenior *de Locis Solidis*, ſive, ut *Pappus* explicat, de *tribus Sectionibus* κωνικοῖς, quinque libros ſcripſit, & poſterior eſſe nequit *Euclide*, cuius Geometriae elementa exſtant. Itaque trecentos ante Chriſtum circiter annos floruit, cuius quinque libros temporis iniuria de medio penitus ſuſtulit. *Vivianius* veterum Geometriae periſſimus, ipſorumque plurimorum operum iactura facta triſtatus, hanc XXIV. annos natus magna ex parte reparare ſuſcepit, eorumdem veſtigiis inſiſtens, atque ipſorum cogitationes, quoad eius fieri poteſt, divinans. Hac quidem in re divinare hominibus licet, in qua ſin minus ipſamet Auctorum cogitata divinantur, certe aequipollentia, ipſorumque menti conſentanea reperiuntur. Dum *Vivianius* quin-

que

que *Ariſtaei* libros ſuopte marte concinnabat, multiplices curae, domeſtica negotia, permoleſtaeque aegrotationes, tranſverſum illum egerunt. Accedit, quod Medicei Principes, qui & norant, & praemiis adfecerant *Vivianii* merita, ipſi publicorum operum provinciam demandaverunt. Nam *Ferdinandus* II. ſuum Geometram adoleſcentem iam ſexdecennem illum renunciaverat. Quapropter tria ſolida luſtra quiete magnis ſtudiis pernecesſaria caruit. Nihilominus Geometria, quae ſtimulo perpete urget quos ſemel poſſedit, *Vivianum* in mediis occupationibus inſequuta, quotquot ipſi ſupererant momenta, ab eodem ſibi impetravit. Tunc aliud opus, in quo etiam divinandum erat, ſecum ipſe reputavit. Collegerat *Apollonius Pergaeus* (ex urbe quadam Pamphyliae ſic vocatus) qui CCL. circiter annis ante Chriſtum natum floruit, quicquid *Ariſtaeus*, *Eudoxus Cnidius*, *Menaechmus*, *Euclides*, *Conon*, *Thraſydaeus*, & *Nicoteles*, de Sectionibus Conicis excogitaverant. Has, ut alia ab alia ſecerneretur, & ſuo quaeque charactere inſigniretur, Parabolen, Hyperbolen, & Ellipſin prior adpellavit. Octo vero libros, qui ad tempus uſque *Pappi* Alexandrini integri pervenere, elucubravit. Huic operi prolegomena quaedam *Pappus* praefixit, & lemmata ad illud intelligendum neceſſaria ſuperaddidit. Poſtea quatuor poſteriores *Apollonii* libri peſſumiere. Ex *Apollonii* ad *Eudemum* epiſtola, atque ex *Eutocio* Aſcalonita, qui auctor *Pappo* iunior eſt, liquet in quinto Conicorum

Apol-

Apollonii libro de lineis rectis maximis, & minimis, quae ad Sectionum Conicarum peripherias collinearent, actum fuiſſe. Nunc quidem quaeſtiones *de Maximis*, *&* *Minimis* adpellantur. *Vivianius*, cogitationibus ſuis ab *Ariſtaeo* aliquantiſper avocatis, quintum *Apollonii* librum eodem pacto reſtituendum curavit, & ſubſecivas trium luſtrorum horas in hoc opere impendit. Anno MDCLVIII. celebris *Ioannes Alphonſus Borellius*, eximii libri *De motu Animalium* auctor, Florentiam tranſiens, Manuſcriptum Arabicum cum hoc titulo: *Apollonii Pergaei Conicorum Libri octo*, in Bibliotheca Medicea deprehendit. Quum illud cuncta exteriora ſigna, quae notari a *Borellio* poterant, integrum eſſe *Apollonii* Tractatum evincerent; illud, venia a Magno-Duce petita, Romam ſecum ipſe tulit, ut ab *Abrahamo Ecchellenſi* Maronita, Linguarum Orientalium Profeſſore, Latine redderetur. *Vivianius*, qui fructum illorum, quae in ſuam de quinto *Apollonii* libro Divinationem paraverat, amittere nolebat; ut ſuus hic labor nihil aliud crederetur, quam Divinatio, ſategit. In Arabica Lingua ſe prorſus peregrinum, & hoſpitem eſſe, authentica in medium protulit teſtimonia; in quibus illud Principis *Leopoldi*, Magni Ducis *Ferdinandi* fratris, principem locum obtinebat. Inſuper de iis, quae *Ecchellenſis* interpretando deprehendere poterat, certior fieri a *Borellio* noluit. Suam demum Divinationem maturavit, vulgavitque hoc titulo anno MDCLIX. *De Maximis*, *&* *Minimis Geometrica*

ca Divinatio in V. Conicorum Apollonii Pergaei adhuc deſideratum. Ex *Viviani* Operibus hoc primum in lucem prodiit. Interea *Abraham Ecchellenſis*, qui Geometriam ignorabat, ope *Borellii*, magni quidem Geometrae, at Arabicam Linguam penitus neſcientis, Arabicae *Apollonii* verſioni Latine reddendae adlaborabat. Huiuſce verſionis auctor erat *Abalphath*, qui decimo ſaeculo ad exitum properante vivebat. Octavus *Apollonii* liber, quicquid Latina Inſcriptio in contrarium obtrudat, plane deſiderabatur. Anno MDLXI. *Ecchellenſis* ſuam quinti, ſexti, & ſeptimi Interpretationem typis mandavit. Collata tunc fuit cum veritate *Viviani* divinatio, quae, quum longius quam *Apollonius* ipſe, proceſſerit, pluſquam divina habita fuit. Poſt ſingularem adeo, ac fauſtum eventum, negotio implicitus fuit prorſus abſimili, in quo etiam ipſo labores ſuos veterum operibus attexit. Refert *Tacitus* in primo Annalium ſuorum libro, Senatum poſt Tiberis inundationem, quae Romae, *Tiberio* imperante, plurimum obſuit, diligentiſſime curaviſſe, ut urbem ab huiuſmodi incommodo ſartamtectam in poſterum conſervaret. Quamobrem fluminum, & lacuum in *Tiberim* influentium curſum avertere ſtatuit. Inter cetera flumina facillimus a Tiberi abductu Clanis erat. Etenim inter Etruriae montes in longa planitie ingentem lacum Clanis efficit, quam pertranſit ac ſecat, atque ubi eius aquae ad tale libramentum conſtitutae ſunt, ut non magis Orientem verſus in Tiberim, quam

quam

quam Occidentem verſus in Arnum, quum parem utrobique declivitatem habeant, delabantur, tum in utrumque flumen ſeſe pariter exonerant. Adluvionum Tiberis ſimul atque Arni non ultima cauſa Clanis eſt. Qui ſi prorſus in Arnum deduceretur, Romae quidem conſultum eſſet, ſed magno cum Florentiae incommodo, quam Arnus interfluit. Florentini, aliique, qui ab Arni inundationibus ſibi magnopere timebant, communem perniciem a Senatu Romano deprecati fuere; qui a Clane in Arnum omnino detorquendo animum abduxit, & veteri curſu flumini relicto, nihil novandum exiſtimavit. Craſſo deinde muro vallem, qua Clanis ſeſe in Tiberim exoneraturus tranſit, Romani interclusere, hiatu dumtaxat in medio relicto, ut a Clane tantum acciperent aquae, quantum ipſi vellent. Hic murus adhuc exſtat. Sub *Alexandri* VII. Pontificatu diſceptationes de Clanis curſu Romam inter, & Florentiam, renovatae fuerunt. Cardinalem *Carpineum*, celebremque *Caſſinium* Pontifex Max. Magnus vero Dux Senatorem *Michelottium*, ac *Vivianium*, Clani ſolerter inſpiciendo praefecerunt. Geometriae adminiculo Πολιτικῇ neceſſario tunc indiguit. Annis MDCLXIV. & MDCLXV. quatuor hi viri tum id, quod utrinque peragendum eſſet, tum commodiorem exſequendi rationem, coniunctis opinionibus animiſque, conſtituere. Verum, quemadmodum uſuvenire ſolet iis, quae ad publicum bonum attinent, in media exſequutione aqua haeſit, atque omnia ab illis ſapien-

pien-

pienter conſtituta in irritum plane ceciderunt. *Caſſinius*, & *Vivianius* haud cunctas in fluminum Etruſcorum curam cogitationes converterant; multa inſuper eodem tempore in quibuſdam quercuum inſectis, aequoreiſque conchiliis e Tuſcis montibus effoſſis, quae vel in lapidum naturam migrarant, vel ſuam retinuerant, animadverterunt. Antiquitates quoque, a naturae ſcrutatoribus, tamquam nimis incertos, ac nimis fortuitos commenti hominum effectus deſpectui habitas, rimati, permultas ſepulchrales urnas, atque inſcriptiones Etruſcas, e telluris latebris eruerunt. Quod vero caput eſt, *Caſſinius* Solis in Iove, factas a Satellitibus, Eclipſes, quarum etiam Tabulas, atque Ephemerides adornavit, *Vivianio* ibidem oſtendit. *Galilaei* diſcipulus progreſſum *Caſſinii*, qui magiſtri ſui veſtigiis inhaerebat, teſtis oculatus magna cum voluptate admiratus fuit. Sub idem tempus *Vivianius* a *Ludovico* XIV. Galliarum Rege, cui nec ſubditus, neque utilis erat, penſionem accepit; quod quidem & Regis munificentiae, & *Vivianii* meritorum, praegrande argumentum eſt. Tunc quidem hic ſuum de *Locis Solidis Ariſtaei* Tractatum Magno *Ludovico* dicare ſecum ſtatuit. Verum opera, & negotia publica impedimento illi fuerunt, quominus huic Tractatui manum ſummam propere imponeret. Anno MDCLXVI. *Ferdinandus* II. Magnus Etruriae Dux principis Mathematici ſui titulo, quo & ipſe *Galilaeus* praeditus fuit, *Vivianium* decoravit. Tandem anno MDCLXXIII. *Ariſtaeum* ſuum excudere

coe-

coepit; verum graviſſima negotia, quibus & aegrotationes acceſſere, ſuſceptam editionem remorata fuerunt. Anno proxime ſequuto, novum ſubortum fuit impedimentum, quod a ſe *Vivianius* amoliri nequivit. Agebatur de memoria magni *Galilaei*, cuius aliquot ſcripta poſtuma reperta fuerant, praeſertim Tractatus de Proportionibus ad quintum *Euclidis* librum, qui ſubobſcurus videtur, illuſtrandum. *Vivianius* libellum hoc titulo excudendum curavit: *Quinto libro degli Elementi d' Euclide, ovvero ſcienza univerſale delle Proporzioni, ſpiegata colla dottrina del Galileo. MDCLXXIV.* Anno MDCLXXVI. tria Problemata a *Comierio* Praepoſito Eccleſiae, Collegialis Ternantinae propoſita, in Gallicis Ephemeridibus adparuerunt. Haec proxime ſequuto anno *Vivianius* prae manibus habuit. Priora duo ad anguli *Triſectionem*, cui Problemati percelebri veteres inſudarunt, referebantur. *Vivianio*, qui novas huiuſce *Triſectionis* methodos habebat, eas, enodatis *Comierii* Problematibus, edere in mentem venit. Praeterquamquod amicitiae, & grati animi partes explendae eidem erant; quippe qui valde erat devinctus celebri *Io. Capellano*, cui ſe opus aliquod ſuum nuncupaturum pollicitus fuerat. Huic igitur vel fato functo hoc opus inſcripſit: *Enodatio Problematum univerſis Geometris propoſitorum a Cl. Claudio Comiers MDCLXXVII.* In ſua nuncupatione ait, malle ſe aliquid novi, primoque adſpectu commentitii in lucem edere, quam amicitiae deeſſe, & promiſſi fidem violare; ſe-

que

que pro muneribus, atque oblationibus in *Capelani* tumulo includendis, haec ipſa in terrarum orbe, ubi eius gloria circumfulſit, longe lateque differere. Tria *Comierii* Problemata multifariam enodavit; ea deinde longe ampliora nunquam non efficit, multumque divitiarum, & Geometricae adfluentiae paſſim praeſefert. Plures tamen Mathematicos clariſſimos aenigmata huiuſcemodi valde ſtomachatos memorat. Ipſemet *Galilaeus* auctor illi fuit, ne ſe unquam hiſce ſuppliciis excruciandum traderet. Poſt tria *Comierii* Problemata, aliud quoque Anonymi *Vivianus* ſolvit; quo enodato, nolle ſe amplius hanc molam volvere, adſeveravit. Problematibus aliorum ſolutis, Problema & ipſe ſuum aliis ſolvendum propoſuit. Itaque anno MDCLXXXXII. propoſitum fuit in Lipſienſibus Actis Problema, *quod in ratione perforandi fornicis hemiſphaerici quatuor feneſtras ſic habentis, ut reliquus fornix quadrari ad amuſſim poſſet, comperienda verſabatur*. Proficiſcebatur Problema *a D. Pio Liſci puſillo Geometra*; quod anagramma eſt ex *Poſtremo Galilaei Diſcipulo*, qui ab *arcana ſcientia illuſtrium illius temporis Analyſtarum* Problematis ſui enodationem exſpectabat. Arcanae huius ſcientiae nomine Geometriam infinite parvorum, Calculumque (ut vocant) *differentialem* haud dubie intelligebat. Revera *Vivianii* Problema hac methodo celeriter extricatum fuit a *Leibnitio*, qui, veluti ſtans pede in uno, quo primum die illud vidit, hoc ipſo die idem enodavit. Tum ipſe *Leibnitius*, tum

Ber-

Bernoullius Baſileenſis, in Lipſienſibus Actis illud multifarie ediderunt. Haud multo poſt Magni Etruriae Ducis apud Galliarum Regem Legato tres huius Problematis ſolutiones Marchio *De Hoſpitali* dicto citius praebuit, longe plures, niſi tam facile fuiſſet, daturus. Hoc fornicis ad quadraturam redigendi Problema pars erat operis a *Vivianio* anno MDCLXXXXI. hoc titulo editi: *La Struttura, e Quadratura eſatta dell' intero, e delle parti d' un nuovo cielo ammirabile, e d' uno degli Antichi, delle volte regolari degli Architetti*. Agit Geometra ſimul, atque Architectus, de Romanorum antiquis fornicibus, & de fornice *Florentino* (ſic eum adpellat) a ſeipſo feliciter excogitato. Geometriam, cuius utilitatem immodicae ſublimitati praeferebat, artium uſui perſaepe accommodaverat. Ea occaſione numus eius honori a Sculptore *Io. Baptiſta Fogginio* cuſus fuit, in cuius averſa parte Sphaera perforata erat cum hac epigraphe: *Qui primus & ſphaericas ſuperficies nil recti habentes notis rectangulis oſtendit aequas*. Iamvero *Vivianius* quicquid Galliae Regi, qui novis ſemper benefactis eum ſibi arctius devinciebat, dicandi *Ariſtaei* operis perfectionem remorabatur, aegerrime moleſtiſſimeque ferebat. Anno MDCIC. in octo Sociorum alienigenarum Pariſienſis Scientiarum Academiae album ab ipſo Rege cooptatus fuit. Quin idem Rex primarii ſui Aſtronomi munus eidem beneficentiſſime obtulit; quo quidem fungi *Vivianius* detrectavit, ne erga *Mediceos* Principes, quibus tantum debebat, ingratus eſſe videretur; quod quidem & in cauſſa fuit, cur

eamdem dignitatem a *Caſimiro* Poloniae Rege oblatam modeſte & laudabiliter recuſaverit. Ille autem Academici Pariſienſis perhonorificus gradus tum propter merita Collegarum, tum propter exiguum eorum numerum, maximi a *Vivianio* factus eſt; & is quidem eum impulit, ut incredibili animi ardore in ſuam de *Ariſtaeo* divinationem totum ſe abderet. Anno MDCCI. tres tamdem libros edidit, quos compoſita ſtilo lapidario inſcriptione, in qua Galli alienigenam inſtar ſuimetipſorum loquentem audire gaudent, Regi dicavit. Opus hoc profundiſſimis de Conicis inquiſitionibus refertum eſt; cui ad gloriae cumulum nihil deeſſet, ſi quemadmodum *Apollonius*, ſic & *Ariſtaeus* reviviſcere poſſet. Porro *Vivianius* regiis muneribus auctus perpulcram Florentiae domum exſtruxit. In ipſa domus fronte ſcriptum eſt: *Aedes a Deo datae*; ut priori Regis nomini, cuius munificentia erectae fuerant, adluderetur. Stat ſuper harum aedium oſtium ahenea *προτομὴ Galilaei*, cuius elogium marmoreis monumentis hinc inde poſitis, ſive potius vitae eius hiſtoria, legitur. Vt haec monumenta ſuapte natura durabilia terrarum orbem pervagarentur, eorum formam affabre graphiceque typis aereis excuſam ſuae de *Ariſtaeo* divinationi ſubtexuit. In huius quoque libri praefatione aut ſuum erga complures gratum animum oſtendit; aut de magnis ſaeculi noſtri Geometris multa honorifice praedicat. In primis non fucatis verborum phaleris, ſed intimo cordis ſenſu, laudat *Gradium*, *De Angelis*, *Sluſium*, *Hugenium*, *Valliſium*, *David Gregorium*, ac poriſſimum *Leibnitium*, quem *Ingeniorum Phoenicem*,

atque

atque (ut paucis omnia compleſtatur) *alterum Galilaeum* adpellat : quandoquidem eius propemodum divina reperta Marchioni *de Hoſpitali*, *Bernoulliis* fratribus, aliiſque compluribus perdoctis viris, magnopere profuerunt. Haec magnus *Vivianius* de magno *Leibnitio* ſenſit, & arbitrari licet eum, etſi veteri tantum Geometriae innutritus eſſet, quum ex ea regione eſſet, in qua ingenio vivido homines praeſtant; & tantam de viris illis doctis opinionem praeſeferret, facile, ſi amplius vixiſſet, novam e Septemtrionibus procedentem Geometriam receptururn fuiſſe; & dolendum bona fide eſt, quod haec nova methodus, eius indole & genio digniſſima, ad eum minime pervenerit. At ſi *Vivianius* de illis Geometris tam magnifice ſenſit, eum quoque exteri homines & admirati ſunt, & honoribus adfecerunt; nam non Academiae regiae Pariſienſi tantum, verum etiam regiae Londinenſi Societati anno MDCXCVI. adſcriptus fuerat, a qua in Diplomate tranſmiſſo hiſce verbis commendatur: *Galilaei in Mathematicis diſcipulus, in aerumnis ſocius, Italicum ingenium ita perpolivit optimis artibus, ut inter Mathematicos ſaeculi noſtri facile princeps per orbem litterarium numeretur.* Non multo autem poſt & inter Arcades Romanos, nec minus honorificis titulis, cooptatus fuit. Imo ubique eius numiſmata, effigies, protomas viri docti expetebant, & ad ſe deferendas curabant; paſſimque in libris doctorum hominum digniſſimis laudibus ferebatur. Eius amici & laudatores in primis fuere, praeter ſupra commemoratos, *Riccius* & *Sluſius*, Cardinales; *Fabrius*, *Lalovere*, *Bartolius Billius*, *Par-*

 dies,

dies, Ieſuitae omnes; *Valliſius*, *Bullialdus*, *Meringius*, *Cavalerius*, *Caſtellus*, *Mabillonius*, *Iacobus Gregorius*, *Chriſtianus Hugenius*, *Hadrianus Auzut*, *Philippus de la Hyre*, *Du-Hamelius*, *Varignonius*, *Hevelius*, *Godèfridius*, *Datius*, *Redius*, *Bellinius*, quorum & ipſe omnium in ſuis operibus meminit. Et ſi vero altiſſimis Geometriae ſtudiis *Vivianius* prope mergeretur, tamen & amoeniores litteras coluit, & linguam Tuſcanicam perfectiſſime calluit, ut in libris vernaculo ſermone ſcriptis luculentiſſime demonſtravit; atque antiquae, ac recentioris, Hiſtoriae peritus fuit. Divinatio illa in *Ariſtaeum*, quae *De locis ſolidis* titulum praefert, opus eius noviſſimum fuit. Poſt ſigna omnia genuinae pietatis exhibita, decimo Kal. Octob. anni MDCCIII. unum ſupra octoginta annos natus obiit. Inerat *Viviamio* illa innocentia, eaque morum ſimplicitas, quae ducentibus vitam minus cum hominibus, quam cum libris, adhaereſcere ſolent: aberat tamen ab eo ruſticitas illa, & quaedam ſilvam redolens inurbanitas, quas frequentiſſima cum libris, & ferme nulla cum hominibus, conſuetudo adfricat litterarum ſtudioſis, atque aliis. Adfabilis erat, modeſtus, amicus tutus ac fidelis, &, quod plures in una virrutes comprehendit, gratus ſupra quam cuique credibile eſt; adeo ut non ſolum alibi, verum etiam in Italia ipſa, quae viris beneficiorum, iniuriarumque memoribus non abundat modo, ſed & plane redundat, graviſſimus *Vivianii* animus maxima omnium admiratione exceptus fuerit, & inſolita etiam virtute praeditus habitus ſit. Statura procerus fuit, cute candida, capillo nigro, oculo glauco & ſcin-

ſcintillante. In Sanctae Crucis ſepultus fuit iuxta dilectum ſuum praeceptorem *Galilaeum*, cui & mauſoleum marmoreum erigendum legavit; quod tandem anno MDCCXXXV. fabricatum fuit, atque in illud Galilaei cineres, & ipſius *Viviani* cadaver, translata ſunt: & *Viviani* quidem cadaver integrum & exſiccatum repertum fuit, adeo ut rectum ſtaret, quod ipſe hiſce oculis vidi. *Vivianii* memoria ab Academicis Furfureis, conventu habito, celebrata fuit; & in eo funebrem orationem *Lucas Albitius* eques, vir doctiſſimus, & *Viviano* amiciſſimus, a ſe ſcriptam elaboratamque, recitavit. Eius opera igitur ſunt:

De maximis & minimis Geometrica divinatio in V. Conicorum Apollonii Pergaei adhuc deſideratum. Florentiae 1653.

Quinto libro degli Elementi d'Euclide, ovvero Scienza univerſale delle Proporzioni, ſpiegata con la dottrina del Galileo. In Firenze 1674.

Ragguaglio delle ultime opere del Galileo. 1674.

Diporto Geometrico 1676.

Enodatio Problematum univerſis Geometris propoſitorum a Cl. Claudio Comiers. 1677.

Problema, quod in ratione perforandi fornicis hemiſphaerici quatuor feneſtras ſic babentis, ut reliquus fornix quadrari ad amuſſim poſſit, comperienda verſatur, editum in Actis Lipſienſibus anni MDCLXXXIII. ſub nomine D. Pii Liſci puſilli Geometrae.

Diſcorſo ſopra l' Arno, per ciò che riguarda i riempimenti e le corroſioni. 1688.

La Struttura e Quadratura eſatta dell' intero, e

 del-

delle parti d' un nuovo cielo ammirabile, e d' uno degli antichi delle volte regolari degli Architetti. *In Firenze* 1692. Hoc opus Latine converſum fuit, & illuſtratum a *Guidone Grandio*, editumque anno 1699.

Divinatio in Ariſtaeum De locis ſolidis. 1701.

Elementi piani e ſolidi d' Euclide.

Vita di Galileo Galilei, in Faſtis conſularibus Academiae Florentinae edita.

Epiſtolae duae, a Guidone Grandio in ſua Apologia adverſus *Alexand. Marchettium* publici iuris factae. 1712.

Imperfecta reliquit opera inſequentia:

Libros duos De Tetragoniſmicis.

Libros duos De Centrobaricis.

De *Terebratione ſolidorum Librum unicum*.

De *reſiſtentia ſolidorum*.

Speculationes Mechanicas.

De *his, quae natant in aquis*.

De *natura fluidorum*.

PE-

PETRVS IOANNONIVS.

Auctore Anonymo.

PEtrus Ioannonius*, ſeu *Giannone*, natus anno MDCLXXVI. die octava menſis Maii, in oppido vulgo dicto Iſchitello, qui locus in ea Apuliae parte ſitus eſt, quae Mons Garganus dicitur, ex medіocris quidem conditionis, ſed honeſtis, parentibus, patre *Scipione Giannone*, matre vero *Lucretia Migaglia*, qui eum educarunt in ſolida pietate. Iam adoleſcens Grammaticam didicit; & politiores litteras in eodem oppido ſub optimo praeceptore, qui erat quidam monachus Franciſcanus, quo duce valde profecit. Adultus, anno MDCXC. aetatis ſuae decimo quinto iam completo, parentium iuſſu Neapolim petiit ſtudendi cauſa iuriſprudentiae, quo in loco uſus eſt praeceptore eximia doctrina praedito, *Dominico Aloyſio*, in Atheneo Neapolitano Legum primario profeſſore, ſub quo tum Iuriſprudentiae, tum Philoſophiae, ac Hiſtoriae tam profanae, quam ſacrae, ut erat praecoci ingenio praeditus, magno animi ardore operam dedit; nec ſine condiſcipulorum, ac amicorum, admiratione in iis quammaxime profecit. Deinde, quum fori veſtigia ſequi ſtatuiſſet, praeceptorem ſibi elegit doctiſſimum virum *Caietanum Argentum*, virum omnigena eruditione praeditum, iuriſprudentiae ſplendorem, cuius laudes velle condigna panegyri proſequi, hic loci noſtrum non eſt. Sub huius diſciplina adeo profecit, ut omnium ore ſummus cauſarum patronus in fo-

ro ſalutaretur, & merito. Plurimas cum ſui temporis celebrioribus Advocatis controverſias habuit, & maxime in materia, quae dicitur *Iuriſdictionalis*; multasque compoſuit Adlegationes doctiſſimas, atque eruditas; & quamvis in foro adſidue operam navaret ita, ut nil temporis ei ſupereſſet ad alia agenda; licet gravi hypochondriae morbo laboraret: nihilominus noctes ducebat inſomnes, ſemper in evolvendis libris eruditis, & ad Hiſtoriam noſtram pertinentibus, occupatus; quibus in ſtudiis tantum progreſſus eſt, ut ſpatio viginti annorum, magnis exantlatis laboribus, anno MDCCXXIII. Neapoli typis mandaverit celeberrimum, ac eruditiſſimum, opus, ita inſcriptum: *Iſtoria Civile del Regno di Napoli libri XL. ſcritti da Pietro Giannone Giureconſulto, ed Avvocato Napolitano*. Hoc eſt, *Hiſtoriae Civilis Regni Neapolis Libri XL. a Petro Giannone Iureconſulto, & Advocato Neapolitano ſcripti*. Quod quidem opus in quatuor volumina diſtributum eſt, quorum tomus primus continet libros octo, in quibus tractatur politia regni Neapolitani ſub Romanis, Gotthis, Graecis, & Langobardis; alter vero continet politiam ipſiusmet regni ſub Northmannis, & Suevis, & in undecim libros eſt diſtributus. Tertius vero tomus agit de politia regni ſub Regibus Andegauenſibus, vulgo *Angioini*, & Aragonenſibus, quam rem expedit Auctor undecim libris. Quartus vero, & ultimus, tomus dividitur in decem libros, in quibus Auctor politiam regni ſub Auſtriacis Principibus deſcribit. Quo in opere difficultates multas, atque tenebras, quibus Hiſtoria noſtra tot per ſecula premebatur, qua per Chronologiam reſtitutam, qua per ceterorum

fa-

factorum antiquorum circumſtantias optime examinatas, amovit, & ſuo nitori reſtituit. Huic operi non parum adiumenti contulit Academia, quam in domo ſupradicti *Caietani Argenti* ipſe *Petrus* frequentabat; cuius Academiae inſtitutum erat materias eruditas, praecipue regnorum utriuſque Siciliae tractare; in quam quum adſcitus eſſet *Petrus*, concubinatus antiqui tractatio ei ſorte obtigit; quam quidem tractationem quum vellet a prima origine ad noſtra uſque tempora digerere, oportuit hac occaſione totam Hiſtoriam regni ſub omnibus ſuis Principibus, & Dynaſtis, verrere, atque examinare. Haec itaque origo operis fuit. Opus ſane immortalitate dignum, ni cenſuras Romanae Curiae meruiſſet, tum quia librum ſine Eccleſiaſtica adprobatione ipſe edidit, tum quia regia iura, vulgo *Regalia*, nimio ardore adſerebat adverſus eamdem Romanam Curiam. Quapropter cenſuris Eccleſiaſticis ab Eminentiſſimo *Francisco* Cardinali *Pignatellio*, tunc temporis Archiepiſcopo Neapolitano, non ſolum percuſſus, ſed etiam omnium Eccleſiaſticorum, tum ſecularium, tum regularium, conſenſu, atque vocibus laceſſitus undequaque, ſolum vertit ſibi ſummopere timens, ne a populo vocibus Eccleſiaſticorum concitato male adficeretur, exemplaribus editis apud amicos ſecreto depoſitis, ne in manus tum Curiae Eccleſiaſticae, tum Laicalis, inciderent; nam Regium Collaterale Conſilium, adnitente tunc temporis maxime Prorege *Althano* Cardinali, eos inquirebat. Itaque ſolum vertere coactus Vindobonam petendam ſibi ſtatuit, ut ſub auſpiciis *Caroli VI.* Caeſaris, tunc temporis

ris

ris Regni Neapolitani Regis, tutam vitam agere poſſet. Itaque menſe Maio pedeſtri itinere Sipontum petiit, ex quo navi ad littus Tergeſtanum traductus, circa finem menſis Iunii anni ſupradicti Vindobonam pervenit. Interim Caeſar, ut animo liberali ſemper fuit erga omnes eruditos homines, aliquibus, qui apud eum plurimum tunc temporis valebant, adnitentibus, *Petrum* ſubditum ſuum, & patrocinio ſuo, & liberalitate dignatus eſt; nam ei permiſit Vindobonae tutam vitam agere, & annua mercede florenorum mille cohoneſtavit. Qua in urbe dum ſine timore verſaretur, in otium non ſe abdidit, ſed dies atque noctes plurima meditatus eſt; & primo reſponſionem adverſus librum R. P. *Ioſephi Sanfelicis*, Societatis Ieſu ſacerdotis, atque Theologi, qui omnium primus, mentito nomine, & ſub larva *Euſebii Philopatrae*, duos tomos edidit Coloniae, ſed revera Neapoli, anno MDCCXXVIII. quorum titulus: *Riſleſſioni Morali, e Teologiche, ſopra l'Iſtoria Civile del Regno di Napoli*. Hoc opus conſtat Epiſtolis trigintaquinque, quibus ille ſphalmata multa, atque errata in Hiſtoria regni, ne dicam haereſes, ſe reperiſse gloriatur, atque librum, auctoremque, igne, ferroque, exterminandum cenſet. Tantum facinus non cenſuit inultum relinquendum eſſe *Petrus*. Statim itaque nouum opus meditatus eſt, quo & adverſarii ineptias in Hiſtoria perſtringeret, & propriam Hiſtoriam a culpis, atque erroribus, quorum accuſabatur, vindicaret. Et quia a praedicto *Euſebio*, & quoad mores, & quoad cetera fortunae bona, etiam laceſſitus fuerat nimis inepte, nil mirum eſt, ſi *Petrus* atra bile,

qua

qua multum laborabat, adverſarium ſuum, quem prius telis, iaculiſque plurimis adflixerat, multo etiam ſale poſtea perfricaverit. Hinc illae amarae ironiae, hinc illi ſales, quibus & opus illud oppletum eſt; & adverſarium ſuum, & monachos, monachorumque ſectatores, ſpretu, atque cachinnis, ille perſtringit. Operi titulum fecit, *Profeſſione di fede ſcritta da Pietro Giannone al P. Giuſeppe Sanfelice Geſuita dimorante in Roma, per la cui ſantità, e fervorato zelo, e calde eſortazioni, s' è il medeſimo convertito a quella credenza, che è inculcata dalle ſue Rifleſſioni Morali, e Teologiche*. Hoc opus typis non editum fuit, ſed manu ſcriptum vulgatum eſt. Siluit *Euſebius*, & *Euſebii* ſors non terruit admodum R. P. *Sebaſtianum Pauli*, Clericum Regularem Congregationis Matris Dei, virum eruditum, atque oratorem celeberrimum, quin adverſus Hiſtoriam civilem, ſubpreſſo nomine, inſurgeret, opuſculo edito Italice, cui titulus: *Annotazioni Critiche ſopra il nono libro del tomo ſecondo della Storia Civile di Napoli del Signor Pietro Giannone, qual nono libro è compoſto in 56. pagine in quarto*, ſine nota tum loci, tum temporis. Contendebat R. Pater praedictus in nono libro Hiſtoriae civilis, multa ſphalmata, tam in Chronologia, quam in Hiſtoria Northmannorum ab auctore admiſſa eſſe, quae ipſe amico ſuo aperit: nam epiſtolae formam operi aptavit. At *Petrus*, qui nondum animo quieverat praeteritum ob bellum ſubſceptum contra *Euſebium*, ut erat nimio calore praeditus, ſtatim adverſum adverſarium ſuum inſurrexit, edito opuſculo, cui titulus: *Riſpoſta alle Annotazioni Critiche ſopra il*

no-

nono libro dello Storia Civile del Regno di Napoli, anno MDCCXXXI. ſine nota loci, & temporis; & larvam ſicuti detraxit *Euſebio*, ſic auctorem huius opuſculi omnibus palam fecit; qua reſponſione propriae Hiſtoriae defenſionem ſuſcepit, & adverſarium, qua factis, qua rationibus, qua coniecturis, nunquam ſine lepore, a veritate aberrantem in ſemitam reducere conatus eſt. Quies hinc nata *Petro*. Interim Vindobonae moram dum agit, & procerum aulas dum colit, amicorum, qui in vrbe Neapolitana degebant, & negotia procurabat apud Caeſaris miniſtros, & reliquum temporis ſtudio donabat, vel in Caeſarea Bibliotheca, vel in propriis aedibus. At quum dignum exiſtimaſſet cura ſua amicos certiores facere tum de Conſiliis, tum de Dicaſteriis vrbis Vindobonae, ut expeditius. faciliuſque, dignoſcerent, quae cauſa, quo in Conſilio, vel Dicaſterio, agenda eſſet, de his Conſiliis, & Dicaſteriis opuſculum edidit ad commodum, & inſtructionem, tum peregrinorum Vindobonam convenientium, ut res ſuas procurarent; tum exterorum alibi degentium, ut praedicta Conſilia, ac Dicaſteria, cognoſcerent, & rei ſuae magis conſulerent. Opuſculo nomen inſcripſit: *Iani Perontini Iuriſconſulti de Conſiliis, ac Dicaſteriis, quae in Vrbe Vindobona habentur, liber ſingularis. Halae Magdeburgicae* MDCCXXXII. At non licuit amplius *Petro* pace, propriis laboribus ſibi quaeſita, frui, & operam navare amoenioribus litteris. Res ita ſe habuit. *Philippus V.* Hiſpaniarum Rex, regna utriuſque Siciliae ut ſibi vindicaret, negotium Marti commiſit, & expeditionis du-

cem

cem ſelegit *Carolum Borbonium* Hiſpaniarum Infantem, ſuum filium, qui dux brevi regnum Neapolitanum Hiſpanicae Monarchiae ſubdidit, atque parva mora interiecta ſortem ſimilem experti ſunt Siculi; quae regna poſtea ab eodem Rege *Philippo*, ipſi belli duci *Carolo* donata fuerunt, a quo omnes mercedes, quae variis de cauſſis ſolvebantur, extinctae fuerunt in beneficium regii fiſci. Hinc cauſſa *Petro*, ut Vindobonam deſereret; quo in loco nimis anguſte, quo ad rem familiarem, ei vivendum erat, ſi diutius ibi vitam ducere vellet. Mercede enim ab Imperatore ei donata deſtituebatur, quae conſtabat ex proventibus, qui vulgo adpellantur *Dirictus Secretariae Siculae*; itaque ut rei ſuae magis conſuleret, & quia ſperabat poſſe in patriam remeare, ſtatuit inde diſcedere. Vale itaque dicto Vindobonae, Italiam petiit, & in vrbe Venetiis domicilium conſtituit; quem in locum pervenit die ſecunda menſis Septembris MDCCXXXIV. & a Cl. Senatore *Angelo Piſano* comiter exceptus eſt; at ibi ei multum non licuit immorari: nam anno vix elapſo ex improviſo Reipublicae mandato die XIV. menſis Septembris anno MDCCXXXV. inde expulſus fuit, & extra reipublicae iuriſdictionem eiectus, incertum qua de cauſſa. Interim quum *Petrus* undequaque ſibi pericula imminere conſpiceret, nec Vindobonam iterum petere, cui vale dixerat; nec patriam, in qua Eccleſiaſticos omnes timebat; nec Romam, a qua praecipue timendum erat, ſe conferre auſus eſt. Itaque admodum dubius, mentito nomine, nempe ſub nomine *Antonii Migaglia*, primo Mutinam petiit; quo in loco circa men-

ſem

ſem moratus Mediolanum contendit, & dum ibi una cum *Ioanne Giannone*, ſuo filio naturali, itineris comite, morari ſtatuit ſub auſpiciis Regis Sardiniae, fortuna eum feſellit; nam eiuſdem Regis mandato Senatus Mediolanenſis eum exſilio multavit circa finem menſis Novembris anno MDCCXXXV. Itaque ſtatuit Genevam ſecedere, quae urbs quaſi Italiae oſtium eſt, donec conatibus amicorum, qui apud miniſtros Regis utriuſque Siciliae nullum officium omittebant, ut eum aliquo honore decoratum in patriam reducerent, fortuna faveret. Quo loci die ſexta menſis Decembris anni eiusdem pervenit, & apud *Carolum Sheneve*, eiuſdem civitatis hominem, hoſpitium ſumſit, & frequenter ad Bibliopolam, *Iacobum Buſquet* adpellatum, ventitabat. Hac in civitate per quatuor menſes moratus eſt, & interim tomum quintum Hiſtoriae Civilis inceptum Vindobonae, continuatum Venetiis, perfecit; qui liber, incertum qua de cauſſa, adhuc deliteſcit in tenebris. Interim ut animum a curis, quibus premebatur, ſubducere tantiſper valeret, invitante praecipue *Ioſepho Guaſtaldi*, Praefecto in Ainſi, quae Sabaudiae provincia eſt, qui ex eius contubernio multam voluptatem capere ſe fingebat, & cui ipſe multum fidebat, ſtatuit ruſticam quandam domum petere a praedicto amico ei oblatam, ut ibi feriaretur per dies aliquot; quae domus ſita erat in loco dicto Veſene. Haud mora, comitante eodem amico, die XXV. menſis Martii MDCCXXXVI. rus praedictum petiit; at vixdum eo pervenit, quod ſtatim adgnovit in laqueum ſe incidiſſe; nam & locus praedictus

iu-

iuriſdictioni Regis Sardiniae ſubiectus erat, & nondum prima nox tranſiert, quum Regis miniſtri eum dormientem adgrediuntur, & bene cuſtoditum abducunt, atque in carcerem civitatis Cameriaci, quae Sabaudiae urbs eſt, coniiciunt, quo in carcere per dies quatuordecim moratus eſt. Inde in caſtrum Miolans dictum translatus fuit, quod oppidum diſtat a Cameriaco duodecim mille paſſus, ibique per menſes decem & octo detentus eſt. Quo loci ſolitariam vitam ducere debuit interdictus commercio aliorum, & libris, excepto *Tito Livio*. At qui vivido ingenio a natura donatus eſt, ut experientia conſtat, inertem vitam agere non poteſt. Hinc *Petrus* novum munus adgreditur, ut taedia otii leniret, & Decades *Livii* vulgari ſermone reddere ſubſcipit, & vitae ſuae heu nimis tragicae Hiſtoriam texere. Vtrumque opus eodem temporis ſpatio perfecit, quae etiam deliteſcunt aliquo in loco, non enim typis mandata ſunt, ut teſtatur praedictus eius filius naturalis ſocius patris in eadem tragoedia, & amanuenſis. Quo tempore elapſo, nempe die XIV. menſis Septembris anno MDCCXXXVII. Regis milites inde eum abducunt, atque a filio divellunt, quem ſui iuris pronunciant, atque ut intra dies tres extra Regis ditionem ſe conferat iubent, & interim aliquot aureis eum donant itineris impenſis ſubeundis. Sic iſte invitus invitum patrem relinquit, cui ne ut vale diceret quidem permiſſum fuit. At *Petro* longe alia ſors; nam & ſcriptis ſpoliatus, ſortis ſuae incertus Taurinum educitur, & in carceres ſitos ad portam eiuſdem urbis, quae Padi, vulgo *del Pò*, nuncupatur, coniicitur; quo loci per ſex menſes de-

detentus fuit, etiam interdictus hominum commercio, & omnibus libris, exceptis operibus P. *Paulli Segneri* Societatis Iesu, quorum uſus, permittente Marchione *Ormea*, ei a R. Sacerdote ſeculari *Aſtrua* conceſſus fuit. Horum lectione dum ſummopere delectabatur, Sacrae Inquiſitionis Vicarium ſponte, ut ad ſe veniret, requiſivit, cum quo, poſtquam colloquium longum habuiſſet, tamdem ſtatuit errores ſuos abiurare. Itaque die XXIV. menſis Martii MDCCXXXVIII. in iiſdem carceribus coram Inquiſitore ſupremi Tribunalis Sacrae Inquiſitionis abiuravit omnes propoſitiones erroneas, falſas, ſcandaloſas, & ut minimum haereſim ſapientes, quae in ſcriptis ab eo compoſitis reperiuntur: quae abiuratio adhuc inedita manet. Hoc in actu ita ſe geſſit, ut veterem hominem eum in totum exſuiſſe putares, & novum, & Chriſtianum, induiſſe. Itaque die quarta menſis Aprilis eiuſdem anni abſolutus fuit ab eodem Inquiſitore, & die XV. eiuſdem menſis Regis mandato translatus fuit in caſtrum Cevanum adpellatum, quod in Pedemontio eſt, quo in loco adhuc detinetur. Quid ipſe agat ignoratur, quum etiam interdictus ſit amicorum communione. Ingenio fuit praecoci, atque ad omnia apto, ut ex eius ſcriptis adparet: memoria pollebat, ut amicis notum eſt: hypochondria laborabat: ſanitatem ut tueretur matutina deambulatione delectabatur. Ciborum parcus: Litteratorum, & Eruditorum hominum amiciſſimus fuit. Haec ſunt, quae nobis hactenus innotuerunt de *Petro Giannone*. Hiſce *Ioannes Lamius* addam, me eum Vindobonae cognoviſſe, & haud ſemel cum eo congreſſum eſſe, critico illius & audaci ingenio delectatum.

IOAN-

IOANNES DOMINICVS CASSINIVS.

Fontanellio Auctore,
Anonymo Interprete

I*Oannes Dominicus Caſſinius* Perinaldi in Nicaeae territorio VI. Id. Iunii anno MDCXXV. ex *Iacobo Caſſinio*, nobili viro Italo, atque ex *Iulia Croveſia*, ortum duxit. Iam inde a puerili aetate praeceptorem valde peritum, qui litterarum ianuam ſibi patefecit, ſortitus fuit. Harum vero ſtudium apud Ieſuitas Genuae adeo feliciter fuit perſequutus, ut nonnulla diſcipuli poemata Latina, Latinis magiſtrorum poematibus immixta, anno MDCXXXXVI. illic in lucem prodierint. *Lercario*, qui poſtea Reipublicae Genuenſi praefuit, familiariter uſus fuit. Cum illo aliquando ruſticanti nonnullos Aſtrologiae Iudiciariae libros, quibus otium ruris falleret, quidam ſacrificulus commodavit, ex quo multa in ſuum uſum *Caſſinius*, curioſa lectione mirifice illectus, excerpſit. Ita tunc temporis fallebatur impetus ille naturalis, quo *Caſſinius* ad aſtrorum cognitionem ferebatur; nondumque Aſtronomiam ab Aſtrologia dignoſcere norat. Eo etiam res devenit, ut nonnulla, quae ipſi e ſententia evenerunt, vaticiniorum ſpecimina dederit. Verum illud ipſum, quod alios in errorem nullo unquam tempore deſiturum impuliſſet, *Caſſinio* Aſtrologiam in ſubſpicionem adduxit. Mira illa mentis acie, qua pollebat, chimaeram Aſtrologiae confeſtim vidit, cuius praeſagia, ſi quando vera exitus probat, Aſtrologorum eſſe poenas putavit. Perpulcrum *Pici Mirandulani* adverſus Aſtrologos opus ſedulo

pervolutavit, & quicquid ex commodatis ſibi libris excerpſerat, id omne flammis delevit. Attamen ſub ridicula Aſtrologiae ſubtilitate ſolidas Aſtronomiae illecebras, quibus vehementiſſime attractus fuit, veluti per tranſennam inſpexit. Etiamſi Aſtronomia Geographiae, Nauticae, & ipſi etiam divino cultui, quibus eſt reapſe pernecceſſaria, ne hilum quidem inſerviret; mentium tamen omnium attentione digniſſima eſſet, ob ingens, praecellenſque ſpectaculum, quod iiſdem exhibet. Sunt in quibuſdam profundiſſimis fodinis homines miſerrimi, qui nati ibi ſunt, quique ibi, ne ſemel quidem conſpecto Sole, commorientur. Huiuſcemodi ferme eſt illorum conditio, quos ingentium horum orbium, qui ſuper ipſorum capita volvuntur, natura, ordo, & curſus, praetereunt; qui maxima coeli ornamenta prorſus ignorant; & quibus, ad perfruendum hac rerum univerſitate, haud ſatis luminis & ingenii ſubpetit. Aſtronomorum labores oculos nobis ſuppeditant, mundique a caecis, aut caecutientibus, paene tantum habitati admirabilem nobis ipſis detegunt magnificentiam. *Caſſinius* incredibili animi ardore Aſtronomiam, praeviaſque ſcientias, quae illi viam ſternunt, adripuit. Non quidem teſtudineo, ſed citatiſſimo gradu in ipſa Aſtronomiae penetralia introgreſſus fuit; adeo ut anno MDCL. aetatis vero ſuae tantum viceſimoquinto, dignus habitus fuerit a Bononiae Senatu, ut ſubſiceretur in locum P. *Cavalerii*, Geometriae Indiviſibilium celebris auctoris, Infiniteque Parvorum praecurſoris, quo e vivis erepto, prima Aſtronomiae cathedra, quam in Bononienſi Academia ipſe occupaverat (quum dignus, qui eidem ſuccederet,

in-

inveniretur nemo) iam inde ab aliquot annis vacabat. *Caſſinius* Bononiam profectus, in aedibus Marchionis *Cornelii Malvaſiae*, qui pro eius in illam urbem adventu plurimum egerat, exceptus fuit. Hicce Marchio, ſua in patria Senator, copiarum Ducis Mutinenſis imperator, & litterarum cultor, veterum Romanorum exemplum, quod paene fabuloſum nobis evaſit, imitatus, haec tria in ſemetipſo copulaverat. Sub finem anni MDCLII. novum Aſtronomiae profeſſorem Cometes exercuit, & tamquam nodum Aſtronomicum longe impeditiſſimum ſeſe illi ſolvendum exhibuit. *Caſſinius* una cum *Malvaſia*, qui Aſtronomus & ipſe erat, Cometem ſpeculatus, anno MDCLIII. tractatum de illo Duci Mutinenſi dicatum in lucem edidit. Quum prima Aſtronomiae ſyſtemata nimium anguſta atque arcta, nimiumque timida, *Caſſinio* viderentur, problematis, quod toti Aſtronomiae inſtar fundamenti eſt, quodque praeſtantiſſimorum Aſtronomorum captum praetervolavit, enodationem feliciter ſuſcepit. Quod quidem & maximam illi exiſtimationem peperit, & viros omnes Europae doctiſſimos ſtupore defixit. In hoc opere Cometas fortuito productos exiſtimat, & procedentium ex terra ſideribusque exhalationum collectiones; ſed cito mutata ſententia nobiliorem excellentioremque opinionem adoptavit. Conſideravit ſui Cometae motum adparentem, non revera inaequalem eſſe poſſe, & ad tantam aequalitatem poſſe redigi, quanta Planetae motus praeſtat. Hinc coniecit omnes Cometas, qui hactenus nova ſidera, aliorum omnium legibus ſoluta, habiti fuerant, & eiuſdem aequa-

litatis, & eiuſdem antiquitatis, eſſe poſſe, ac eos Planetas, quos ab ipſo mundi ortu ſubſpicere conſuevimus. Primae in quovis argumento opiniones nimis arctis limitibus timide coercentur; & iam videatur veritas, rationis audacis praemium eſſe. Felix haec ſapienſque audacia *Caſſinium* impulit ad reſolvendum problema, quod Aſtronomiae fundamentum eſt, antea pluries in caſſum tentatum, atque impoſſibile etiam iudicatum a famoſo *Keplero*, & a *Bullialdo* magno Aſtronomo Gallo. Datis duobus intervallis inter locum verum & locum medium Planetae, eius Apogeum atque excentricitatem Geometrice determinare oportebat. *Caſſinius* illud feliciter ſolvit, & Eruditos omnes ſtupore perculſit. Huius problematis ſolutio ei ad novam exactioremque Aſtronomiam limitem egit; at, quum ſui inventi fructum percepturus pluribus obſervationibus, quam hactenus facere potuiſſet, vix enim tunc annum XXVI. attigerat, indigeret, *Petro Gaſſendo* in Gallias ſcripſit, & ab eo obſervationes petiit, quas haberet, & praecipue ad Planetas ſuperiores ſpectantes; quas facile obtinuit a viro ſcientias omnimodis promoventi, & alienae gloriae faventi laudabiliter. Aſt adhuc intimam Aſtronomiam dubitationes non contemnendae, difficultateſque maximae, involvebant implicabantque. In comperto eſt Solem lentius aeſtate, quam hieme, progredi videri, & eſſe a terra remotiorem. Haec maior diſtantia in cauſſa eſſe debet, cur eius celeritas minor videatur; at non reapſe vera diminutio in hac velocitate reperiatur? Ita *Keplero* & *Bullialdo* viſum eſt; alii omnes tam vete-

te-

teres quam recentiores in contrariam ſententiam iverunt; & ut certa theoria Solis, aliorumque Planetarum eſſet, ex hac quaeſtione magnam partem dependebat. Ad hanc decidendam opus erat obſervare, an ubi Sol a terra maxime receſſiſſet, eius diametri diminutio, nam tunc minor videri debet, eadem exacte proportione contingeret, ac diminutio eius velocitatis: quod ſi eſſet, omnis celeritatis diminutio nonniſi adparens proculdubio cognoſceretur; at difficultas omnis vertebatur in exactiſſimis obſervationibus perficiendis. Sicuti, nonniſi de uno minuto plus aut minus in magnitudine diametri ſolaris agebatur, & inſtrumenta nimis brevia & anguſta erant, ut iis certa magnitudo deprehendi poſſet, quilibet obſervator addere illud vel auferre ad libitum poterat, & ſuae hypotheſi aptare; atque ita controverſia ſemper indeciſa remanebat. Nos non adferemus niſi hoc exemplum ſummae neceſſitatis, & uſus, parvarum, & aliunde contemtibilium, magnitudinum in Aſtronomia. Generaliter facile eſt comprehendere, quando circuli quadrante quis utitur ad res coeleſtes obſervandas, eius proportionem ad magnitudines, quas metiri debet, eſſe parvitatis prope infinitae; & ſerici fili tenuitati millia millium leucarum in coelo reſpondere. Hinc Aſtronomiae exactitudo atque perfectio ingentia inſtrumenta expoſcit. *Caſſinio* igitur occaſio oblata eſt huiuſmodi inſtrumentum omnium, quotquot fuerant, maximum tunc obtinere, quando Aſtronomiam prorſus inſtaurare ac renovare animo volutabat. Kalendarii Iuliani confuſio ob neglecta aliqua minuta, Aſtro-

 no-

nomos ſaeculi XVI. commoverat & excitaverat; ſtabilire igitur voluerunt certas Aequinoctiorum Solſtitiorumque, quae Kalendarium non niſi decem diebus poſteriora dabat, obſervationes; adeoque *Egnatius Dantes*, S. *Dominici* Monachus, & Aſtronomiae Bononiae profeſſor, anno MDLXXV. in aede S. *Petronii* lineam expreſſit, quae annuum Solis curſum, praecipueque eius ad Solſtitia adventum, deſignabat. Eccleſiam ita profanari nemo credebat, quum obſervationibus Feſtivitatum celebrationi neceſſariis inſerviret. Anno MDCLIII. D. *Petronii* aedes aucta eſt; idque *Caſſinium* induxit, ut in alia Eccleſiae parte longiorem, utiliorem, & exactiorem, lineam, quam *Dantes* fecerat, quae ne linea meridiana quidem erat, ſignaret. Quum vero linea haec perfecta recta eſſe deberet, & neceſſario inter duas columnas tranſitura ob poſitum aedis; ſtatim veriti ſunt ne linea haec ab iis columnis impediretur; adeoque aediles templi *Caſſinii* coeptis adeo incertis conſentire detrectabant. At *Caſſinius*, ſcripto edito, rem incertam non eſſe evidenter oſtendit: ſeque tantam diligentiam in menſurando impendiſſe, ut linea utramque columnam radens nullum ab iis damnum & detrimentum acciperet. Rotundum foramen, horizontale, cuius diameter pollicem non excedit, in tecto excavatum, & perpendiculariter imminens, mille pollicum diſtanria a marmoreo pavimento, in quo meridiana ſignata eſt, recipit quotidie, & tranſmittit in meridie ad hanc lineam Solis imaginem, quae ibi elliptica fit, & in dies lineam percurrit, iuxta Solis acceſſum vel receſſum a pun-

cto

ſto verticali Bononiae. Quando Sol eſt illi punſto proximiſſimus, minuto variationis in altitudine reſpondent in meridiana quatuor linae pedis Pariſienſis; quando vero eſt remotiſſimus, duo pollices & una linea; adeo ut ab hoc inſtrumento tanta exactitudo procedat, quantam nemo umquam ſperaſſet quod quidem diligentia prope ſuperſtitioſa conſtructum fuit. Ieſuita *Ricciolius*, idoneus in huiuſmodi materia iudex, eam *magis angelicam quam humanam* adpellavit, cuius exilior deſcriptio prope in infinitum progrederetur. In Mathematicis praxis ſerva eſt, cui theoreſis regina imperat; ſed heic regina a ſerva omnino dependet. Hocce ingenti opere vel abſoluto, vel certe ad exitum feſtinante, ille Mathematicos omnes ad Solſtitium aeſtatis eiuſdem anni obſervandum publico ſcripto invitavit; & Poetico ſtilo, quem inter ſentes, & ſalebras, Mathematicorum minime amiſerat, novum Apollinis, ſive Solis, oraculum, tuto in omnibus Aſtronomiae difficultatibus conſulendum, ſuam in templo ſedem fixiſſe, aiebat. Hocce oraculum de variatione celeritatis Solis reſponſum in primis praebuit, & pro *Keplero*, ac *Bullialdo*, illam ex parte revera eſſe, perſpicue pronuntiavit. Qui ſecus ſentiebant, digito ori admoto, oraculi reſponſo acquieverunt. Hoc eodem anno *Caſſinius* de lineae ſuae meridianae uſu tractatum edidit, quem Sveeorum Reginae, emunctae quidem naris viragini, quae nuper ſeſe in Italiam receperat, nuncupavit. Novae *Caſſinii* obſervationes ab omni vel perlevi errore adeo evidenter abeiant, ut Solis tabulae ab ipſo effectae, omnium, quae ad illud

uſque tempus exſtiterant, perfectiſſimae ac tutiſſimae haberentur. Quod ſi ea linea meridiana plurimum opis, qua ceteri carebant Aſtronomi, adferebat, id *Caſſinio* lineae huius auctori non gloriam deterit; ſed potius maiori laudi vertendum ipſi eſt. Nihilo tamen minus non omni hac tabulae defectu carebant, cuius rei *Caſſinium* oraculum illud ſuum admonuit. *Tycho* omnium primus deprehenderat, adparentes aſtrorum ſupra horizontem altitudines a refractionibus augeri; ſed crediderat quoque eas nonniſi uſque ad gradum XXXXV. agere, ac deinde ceſſare omnino. *Caſſinius* in hoc eius ſententiae adhaeſerat; ſed poſt diligentiores inquiſitiones, & examen Geometricum naturae refractionum, quae nonniſi per obſervationes errori obnoxias hactenus cognitae fuerant, cognovit eas uſque ad punctum coeli verticale extendi, quamquam poſt gradum XXXXV. uſque ad punctum illud, unum tantum minutum ſupereſt inter gradus XXXXV. diſtribuendum: quae quidem altera minutia Aſtronomica eſt, ſed maximi momenti. Sed novarum rerum omnium, etſi indubitatarum, fata contradictionem ſecum uſque ferunt. Non Aſtrologus de trivio, horoſcoporum venditator, eius de refractionibus opinionem impugnavit; eumque nondum annis adeo robuſtis adoleviſſe obiecit, ut id cognoſcere poſſet; ſed ipſe Ieſuita *Ricciolius* fuit, qui ſtatim *Caſſinii* ſententiae acquieſcere noluit, ab eo propterea ad D. *Petronii* aedem, ubi triumphare poterat, provocatus. Nova hac refractionum theoria *Caſſinius* ad alteras tabulas, prioribus exactiores, concinnandas uſus eſt.

Iis

lis parallaxin Solis adiecit, quam credebat, etſi adhuc dubius, decem minutorum ſecundorum; adeoque Solem a terra ſexies longius removebat, quam *Keplerus*; & decies octies, quam alii. Marchio *Malvaſia* harum tabularum praeſidio quinque annorum Ephemeridas ab anno MDCLXI. incipientes computavit; & *Geminianus Montanarius* Mathematicae in Bononienſi Gymnaſio profeſſor ſcripſit, & in vulgus prodidit. Si harum Ephemeridum uſu tempus, quo Sol ad certum meridianae D. *Petronii* punctum pervenire debebat, quis ſubputaviſſet, vere eo temporis momento pervenire deprehendebat. *Lansbergius* alias convictus eſt, ſuas obſervationes falſificaſſe, ut ſuis tabulis concordes oſtenderet; adeo Aſtronomi hanc concordiam adſequi poſſe ſibi blandiuntur; hominesſque aliorum opinione uti fruique, etiam temere. Verum ab aſtrorum commercio ad negotia mere terreſtria *Caſſinius* deductus fuit. Padi frequentes adluviones, anceps atque exlex curſus, cornuum eius diviſio mutationi obnoxia, remedia denique ipſa, quae vel malum inritarant, vel alio tranſmoverant; finitimis populis, praeſertim Bononienſibus, & Ferrarienſibus, complures ad inter ſe diſſidendum anſas praebuerant. Hae quidem duae civitates, etſi ambae Romano Pontifici ſubiectae, provincias diſtinctas habent, & utraque iure gaudet oratores ad ſupremum Principem mittendi. Sicuti Bononienſes multa tractare habebant cum Ferrarienſibus in his, quae ad aquas pertinent, anno MDCLVII. Romam ad *Alexandrum* VII. orator *extraordinarius* Marchio *Tauara* una cum *Caſſinio* ab iis miſſus fuit; qui quidem il-

illo ſocio indigebat in re, quae a Matheſi maximam partem pendet. Bononienſium non minus commodis, quam decori, ſummus hic Mathematicus Romae inſerviebat. Illic, praeter alia de aquis ſcripta, totam Padi hiſtoriam ex antiquorum, & recentiorum libris, atque e cunctis exſtantibus monumentis, depromtam (quandoquidem a Mathematicis ad ceteras ſubinde ſcientias, ut in nulla peregrinus eſſet, excurrebat) penitus pertractavit. Coram Congregationis aquarum Cardinalibus complura ad eas ſpectantia edidit experimenta, in quibus non minus aquarum naturam ſe callere, quam aſtra, luculenter oſtendit. Quamobrem ei Senatus Bononienſis aquarum praefecturam concredidit. Hoc quidem munus *Caſſinio* ad Cardinales bene multos, quorum ſibi benevolentiam politiſſimis moribus ſuis conciliaverat, aditum patefecit. Anno MDCLXIII. D. *Marius Chiſius Alexandri* VII. frater, Romanarumque copiarum imperator, Arcis *Vrbani* munimentis *Caſſinium* inopinantem praefecit. Repentinum igitur ad militarem ſcientiam gradum fecit; ſed dum arcem muniendam curabat, aſtra (delicias ſuas) identidem ſubſpiciebat. Illo etiam uſus fuit *Alexander* VII. in diſſidio, ob Clanis aquas Romam inter & Florentiam exorto, componendo. Idem Pontifex Max. qui ut hanc *Caſſinio* provinciam demandaret, ipſum a Bononiae Senatu popoſcerat; huic per Cardinalem *Roſpilioſium* (poſtea *Clementem* IX.) ſcripſit, optime ſeſe animatum in *Caſſinium* eſſe, quem ita ſibi adhaereſcere optabat, ut illorum, quae ipſi erant Bononiae, nullam faceret iacturam. Re-

ve-

vera *Alexander* VII. quem multiiuga *Caſſinii* doctrina mira perfundebat voluptate, multa illi, magnaque commoda, ſi Eccleſiaſticae vitae inſtitutum amplecti vellet, pollicitus fuit. Dignus profecto ob morum puritatem erat, ut ſacro coetui nomen ſuum profiteretur: verum licet doctrinae magnitudo Eccleſiaſticos crebro perducat ad illa honorum faſtigia, in quibus qui eminent, vix Regibus ipſis concedunt; tamen magnarum dignitatum ſpe ſe illuc immittere, quo ipſe a Deo non vocabatur, nefas & piaculum putavit. Sub finem anni MDCLXIV. adparuit Cometes, quem *Caſſinius* in Chiſiorum aedibus coram Sveciae Regina obſervavit, quae eumdem & ipſa obſervabat, ſuaſque obſervationes ad multam perſaepe noctem protrahebat. Suo Cometarum ſyſtemate *Caſſinius* adeo fretus erat, ut poſt duas primas obſervationes, quas nocte diei XVII. & XVIII. & ſequentis, Decembris fecit, notavit audacter Reginae ſuper globum coeleſtem iter, quod ille peracturus erat; & poſt quartam obſervationem, quae die XXII. eiuſdem menſis contigit, adfirmavit, eum nondum in maximo Perigeo eſſe; atque ulterius praedicere auſus eſt ad illud die XXIX. perventurum; & quamvis ille Lunam velocitate anteiret, & coelum brevi tempore circumiturus videretur, adſeverare non eſt veritus in ſigno Arietis haeſurum, a quo duobus prope ſignis diſtabat; & poſtquam ſtatarius fuiſſet, eius motum retrogradum futurum reſpectu directionis, quam habuerat. Haec vaticinia magnam incredulorum copiam invenerunt, qui contra contendebant, fore ut Cometes ab Aſtronomo evaneſceret, id-

idque uſque in finem ſperaverunt ; ſed tamdem quum cognoviſſent illum eius praedictionibus omnino obnoxium fuiſſe, Cometae exemplo retrogradum motum adripuere, nilque facilius eſſe dixerunt, quam id quod *Caſſinius* egerat. Alius Cometes menſe Aprili anno MDCLXV. conſpiciendum ſe dedit. Statim *Caſſinius* computationem ſeu tabulam eius itineris publicare adgreſſus eſt, quae, quidquid circa praecedentem Cometen egerat, mirabiliter confirmavit. Quidam illorum, qui ei minime fidem habuerant, eius imitatores eſſe voluerunt, ſed prorſus infelices. Syſtemata pariter formaverunt, & hunc Cometen eſſe eumdem ac alium opinati ſunt; ſed obſervatio falſos eſſe demonſtravit. Ipſe autem poſt octo aut decem dies a prima Cometae adparitione ſuam tabulam in vulgus prodidit, in qua de Comete ſubputatum fuerat eadem ratione, ac de antiquo Planeta fieri potuiſſet. Eodem anno tractatum Latinum de duorum horum Cometarum theoria Suecorum Reginae dicatum, & nonnullas ad *Octavium Falconerium* Italice exaratas Epiſtolas, typis Romae commiſit. In his quidem *Caſſinius* ſua de Cometis arcana in propatulo, atque in ipſa meridiana luce, collocat. Quum autem Sveciae Regina *Auzuti* magni Geometrae, & obſervatoris, de prioris Cometae motu Ephemeridem, e Gallia ſibi perlatam, *Caſſinio* tradidiſſet; hic ſuam ipſam hypotheſin, ſub pellucida perſona perperam deliteſcentem, in illa confeſtim adgnovit. Qua de re Reginam, & *Falconerium*, ingenti cum laetitia certiores fecit; atque homini, qui ipſius inventa ſibi vindicabat, & partam
pro-

proprio labore gloriam in ſe tranſmovebat, minime ſuccenſuit. Dum in Cometis, quos eoſdem rursus adparere idemtidem poſſe opinabatur, *Caſſinius* totus erat, Clanis cauſa in Etruriam a Pontifice Max. miſſus fuit, qui & eum eodem tempore aquarum ditionis Eccleſiaſticae praefectum renuntiavit. Verum poſt haec munia peracta, ad oblectamenta ſua, ſcilicet ad caeleſtes obſervationes, remigrabat. Eodem anno MDCLXV. in Etruriae urbe, vulgo, *Civitate Plebis*, Medicearum ſtellarum umbras, dum Iovem inter, & Solem, tranſeunt, in Iovis orbe explorate cognovit. *Caſſinius* ab huius Planetae maculis, quarum aliae fixae,aliae errantes,aliae vero ad tempus tantummodo fixae ſunt, umbras illas (quicquid aliqui in contrarium obtruſerint) mirum prorſus in modum ſecrevit; & maculae fixae praeſidio Iovem circa ſuum axem horis VIIII. minutis LVI. verti deprehendit. Quidam enim umbrarum, & macularum, diſtinctioni adverſati ſunt, quamvis eam ipſe Geometrice demonſtraviſſet; & praedixiſſet tempora ingreſſus & egreſſus umbrarum e diſco adparente Iovis, & illa, quibus maculae fixae rurſus in eo ob globi revolutionem adparere debebant. Sed fatendum eſt extremam harum perquiſitionum ſubtilitatem, & uſum delicatiſſimum, hactenuſque ignotum, Aſtronomiae ſimul & Opticae, omnino neceſſarium, obiectiones etiam inter doctos, ceteris indociliores, haud iniuria invenire meruiſſe. Incredulitas inventis difficillimis honori eſt. Quae autem *Caſſinius* fecerat eo maioris momenti erant, quo Planetarum omnium unus eſt Iupiter ha-

hactenus utilior; utpote qui controverſiam de motu, aut quiete, telluris d finire poteſt. Ipſe noſtris oculis aperit, & ampliori quidem obiectu, quam apud nos, omne id, quod *Copernicus* de tellure non ſine quadam temeritatis ſpecie divinaverat. Si mirari ſubit, molem adeo magnam, qualis terra eſt, circa proprium axem revolui; Iupiter, millies craſſior, bis cum dimidio velocior ſeſe ſimili revolutione circumvolat. Si mirandum quoque videtur, Lunam tantum, circa terram, tamquam ſuum centrum volutari; quatuor Lunae, vel ſatellites, ſuarum converſionum centrum Iovem habent. At, quum *Caſſinii* repertorum veritas amplius in dubium revocari non poſſet, eorum honorem illi praeripere conati ſunt. Anno MDCLXVII. menſe Februario Martem terrae adpropinquantem obſervaverat, & ex motu quarumdam macularum putaverat, hunc Planetam circa ſuum axem XXIV. horarum, & aliquot minutorum, ſpatio converti. Romani obſervatores, quibus hac de re ſcripſerat, praevenire eum voluerunt; ſed in plagiarios hoſce tam valide ſtilum exacuit, ut illas furtivis coloribus nudatas corniculas omnibus deridendas propinaverit. Martis revolutionem, intra XXIV. horas, & XXXX. minuta peragi, ſtatuit; quod gloriae quidem *Copernico* cedit; nam eius ſyſtema eo magis confirmabatur, quo magis coelum *Caſſinii* obtutibus ſua arcana revelabat. Eodem anno MDCLXVII. maculas quoque in Veneris orbe detexit, credit itque eius converſionem converſioni Martis circiter aequalem eſſe poſſe; ſed quia Venus, cuius orbis inter Solem & nos eſt, iis-

dem

dem phaſium variationibus, ac Luna, obnoxia eſt, & propterea eius macularum reverſiones difficillime, & male tuto deprehendi poſſunt, nihil hac in re determinare voluit; atque ita ſententiam ſubſtinendo in incertis inventis, alias certas fuiſſe luculente demonſtravit. Verum multa, & praegravia onera, quae *Caſſinio* ſuperimponebantur, ipſum ad tellurem a caelo rurſus perinvitum declinabant. Praeter alia negotia, quibus ab Aſtronomia averruncabatur, Arcis Peruſinae, & Pontis Felicis, unde Tiberis curſum deflexurus videbatur, cura ipſi tradita fuit. Opus, quod huic incommodo mederetur, *Caſſinius* exſtruendum curavit. Ipſe etiam ſponte, utpote qui univerſo ſcientiarum orbi inhiabat, ſeſe a ſideribus contemplandis nonnunquam abſtrahebat. Dum una cum *Vivianio* de Clanis aquis agebat, complures de inſectis confecit Phyſicas animadverſiones, quas *Montalbanius*, ad quem illas miſerat, inter *Aldrovandi* opera excudendas curavit. Quamvis autem transfuſionis ſanguinis in Gallia, atque Anglia, edita experimenta ſeges tantum ſint Medicorum, atque τῶν Ἀνατομικῶν; in tot tamen diſſitas partes *Caſſinii* flagrantiſſimus ſciendi amor illum diducebat, ut ſanguinis transfuſionem Bononiae expertus, falcem in hanc quoque meſſem immiſerit. Quocirca dum Bononia Romam proficiſcens, iter Florentia faciebat, Magnus Dux, & Princeps *Leopoldus*, coetus Academiae *del Cimento* coram ipſo fieri iubebant, ut *Caſſinius* aliquid luminum ſuorum ipſis adfunderet. Anno MDCLXVIII. Mediceorum aſtrorum Ephemeridas in lucem emiſit. *Galilaeus*,

pri-

primus eorum inventor, *Marius*, & *Hodierna*, ipſorum motus, atque eclipſes Iovi ab ipſis, & ipſis a Iove, partas ſubputare irrito conatu laborarunt. Hi omnes Aſtronomi veram poſituram planorum, ſive orbitarum, in quibus ii ſatellites circa Iovem moventur, minime deprehenderant; & quidem ad talem cognitionem inhiare, audacia ſumma, & damnabilis, humani ingenii eſſe videatur. Omnes Planetae in planis differentibus, quae per centrum Solis tranſeunt, moventur: illud, in quo movetur Terra, Ecliptica eſt; Iovis orbita aliud planum eſt ad Eclipticam inclinatum certo graduum numero, cam in duobus punctis oppoſitis ſecans. Haec orbitae Iovis ad Eclipticam inclinatio, & communes earum interſectiones, quamquam ab omnium aetatum Aſtronomis requiſitae, & quidem non ſine longa obſervationum ſerie, adeo determinatu difficiles ſunt, ut diverſi Aſtronomi multum a ſe invicem in definiendo recedant; & idem interdum Aſtvonomus a ſe ipſe diſſentiat. Ratio autem eſt, quia haec plana, etſi reapſe exſtent, inadſpicua ſunt, & nonniſi intelligentia percipi poſſunt, & multiplicibus & ſubtiliſſimis ratiocinationibus diſtingui. Quid autem dicendum erit de planis multo magis inviſibilibus, ut ita dicam, in quibus Iovis ſatellites moventur? Opus fuit invenire quos angulos faciant eorum orbitae, & cum Iovis orbita, interque ſe ipſas, & cum Ecliptica; & inſuper quae ſit differens magnitudo horum angulorum, prout a Sole, vel a Terra, reſpiciuntur. Ut ſemel dicam, in horum novorum ſiderum tabulis, XXV. elementorum uſu opus eſt, hoc

eſt,

eſt, XXV. cognitionibus, aut definitionibus, quae fundamenta iaciunt ac ſternunt. Non tantum magnus ingenii conatus eſt, eruere, conligere, ordinare, tot caementa aedificio neceſſaria; ſed magnus eſt etiam ille, quo quis intelligit, quot caementa neceſſaria ſunt, nec alicuius obliviſcitur. Statim ac *Caſſinii* Tabulae in lucem editae ſunt, omnes Europae Aſtronomi, quos illae temporis eclipſium Satellitum admonebant, eas diligenter obſervarunt, & inter alios *Picardus*, Academiae Scientiarum per ea tempora inſtitutae, ſocius; & reperit eas perſaepe coelo reſpondere maiori perfectione, quam auctor ipſe pollicitus eſſet, qui in poſterum ſe eas caſtigaturum receperat. Egerat ipſe pro quatuor Lunis inſolitis, a nobis remotiſſimis, & recens admodum cognitis, id, quod omnes XXIV. ſaeculorum Aſtronomi vix pro nota Luna exſequi potuerunt. *Colbertus*, qui Regis iuſſu Academiam Scientiarum anno MDCLXVI. Pariſiis inſtituerat, ut *Caſſinius* cum ea commercium eruditum haberet, deſideraverat; quod quidem deſiderium ob Gallicae gloriae amorem adeo crevit, ut eum Academiae amicum habere minime contentus, per Comitem *Gratianium* Miniſtrum & Secretarium Ducis Mutinenſis in Gallias evocaverit, regia mercede propoſita, quae reditus munerum, quibus in Italia fungebatur, aequaret. Reſpondit *Caſſinius* id a ſuo arbitrio non pendere, nec a Rege oblata praemia accipere poſſe, ſine *Clementis IX.* Pontificis Maximi conſenſu; quare Rex a *Clemente* IX. & a Senatu Bononienſi, eum petiit in aliquot tantum annos, ut negocium facilius ſub manus

ſuccederet ; & Abbas *Bourlemontius*, Rotae tunc, ut vocant, Auditor, Regis deſiderium illis expoſuit. Itaque *Caſſinius* Lutetiam Pariſiorum pervenit ineunte anno MDCLXIX. ex Italia a magno Rege evocatus, quemadmodum *Soſigenes*, Aſtronomus & ipſe longe celeberrimus, Romam ex Aegypto *Iulii Caeſaris* accitu profectus fuerat. Alienigenam, litterarum omnium praeſidio inſtructiſſimum, egreſſumque e patria, ut regiae voluntati morem gereret, expanſis ulnis *Ludovicus* excepit. *Caſſinius* tamen haud ſibi propoſuerat perpetuam in Gallia ſedem ſibimet figere. Annis aliquot evolutis Pontifex Max. & Senatus Bononienſis, qui ſemper *Caſſinio* officiorum eius emolumenta ſervaverant, ipſum a Galliae Rege maiorem in modum repopoſcerunt. Sed ſurdo canebant, lateremque lavabant; ſiquidem Rex, qui maximis in dies ferme ſingulos benefactis *Caſſinium* proſequebatur, Gallis ipſum, *Colbertio* curante, anno MDCLXXIII. accenſitum voluit, qui mox eodem anno *Genovefam Delaitre*, Praeſidis Clarimontis in Bellovacenſi provincia filiam, non ſine Regis gaudio, uxorem duxit. Eorum, quae in Gallia *Caſſinius* peregit, paucula delibabimus; ſiquidem ſingula perſequi nimis longum eſſet. Quum Academia Pariſienſis anno MDCLXXII. in inſulam Cayennam, Aequatori proximam, obſervatores miſiſſet; coelum enim adeo a noſtro differens magnam obſervationum a noſtris diverſarum, nobiſque magno uſui futurarum, copiam ſubpeditare debebat. Inde illi retulerunt ea omnia, quae *Caſſinius*, ſola tantum

ra-

ratiocinatione & theoreſi firmaverat ante multos annos de Solis Parallaxi, & Refractionibus; adeo ut hic non tam Aſtronomus, quam Divinus, Aſtrologumque gerens, videretur. Inſuper inter primarios ſuſcepti itineris ſcopos fuerat, Martis, qui tunc Terrae valde propinquus erat, Parallaxin in Cayenna obſervare, dum *Caſſinius*, aliique Aſtronomi Academiae, obſervabant Pariſiis. Haec quidem methodus ex locis longe remotis Parallaxes eodem tempore obſervandi, antiqua eſt; ſed *Caſſinius* aliam excogitavit, qua unus tantum obſervator ſufficit, quum loco alterius ſtella fixa eſſe poſſit. *Whiſtonus*, celeber Aſtronomus Britannus, hoc inventum miraculi inſtar eſſe pronuntiavit. Hae duae methodi ad eamdem Martis Parallaxin dandam concurrerunt; atque inde etiam illa Solis deprehenſa eſt. Poſt longam igitur incertamque dubitationem, decem eſſe ſecundorum ſtatutum eſt; adeoque non eſt amplius ambigendi locus, quin Sol triginta tribus ſaltem leucarum millionibus a Terra diſtet, multo amplius ſcilicet quam hactenus accreditum fuiſſet. Omnes aliorum Planetarum diſtantiae iuxta proportionem auctae pariter fuere. & noſtri vorticis limites admodum ampliati. Anno MDCLXXX. menſe Decembri Cometes, qui celebris fuit, adparuit. Poſtquam *Caſſinius* illum ſemel obſervavit, ſtatim eamdem initurum viam, quam alter Cometes a *Tychone Brahaeo* anno MDLXXVII. obſervatus iniit, Regi coram omnibus Aulicis, eventu praedictionem minime fallente, praedixit. Ille quidem ex unica tantum obſervatione audentior evaſit, quod animadvertiſſet, ple-

roſque Cometas, ſive ex iis, quos iam viderat; ſive ex iis, quos alii Aſtronomi obſervaverant; viam in coelo peculiarem habere, quam ideo adpellabat Cometarum Zodiacum; & quia hic Cometes in eo Zodiaco erat, non ſecus ac ille, qui anno MDLXXVII. obſervatus fuit, credidit fore ut hic illum ſequeretur; & ſequutus eſt. Anno MDCLXXXIII. deprehendit primo in Zodiaco lumen quoddam, quod alias forte ſe, licet rariſſime, viſum fuerat, ſed quod pro Phaenomeno pene nullo habitum, non magnam humanarum mentium attentionem meruerat. Ipſe igitur ex huius novi luminis qualitatibus illico coniecit, illud ſtabilis naturae eſſe poſſe, & eius theoriam deſcripſit, quae tempora quibus a crepuſculis, queis ut plurimum involvitur, liberum rurſus adparere debuiſſet, oſtendebat; & cognovit deinde illud ad noſtros oculos tranſmitti poſſe a materia, quam Sol a ſe ipſe emitteret longe ultra Veneris orbitam, & qua uſque ad hanc diſtantiam implicaretur. Sicuti hoc lumen non omnibus temporibus, quibus deberet, adſpectabile eſt, haec materiae fluxio, inaequalis & irregularis eſſe debere videbatur, non ſecus ac macularum Solis productio. Phaenomenon diverſis in locis deinde obſervatum eſt, & in ipſa India Orientali. Si *Caſſinius* prior non fuit, qui illud videret, prior ſaltem fuit, qui aliis videndum indicaret, & adtentione dignum eſſe edoceret. Iam a principio iudicaverat, ſi hoc lumen coram Sole ſpectatum fuiſſet, comam ipſi formaturum fuiſſe, quod quidem ſui ſyſtematis conſectarium erat; quamvis forte nec ipſe, id reapſe olim eventurum

rum ſperabat. Anno tamdem MDCCVI. Solis Eclipſis contigit, & in locis, ubi illa totalis fuit, luminoſa circa hoc ſidus coma viſa eſt, & talis omnino, qualem *Caſſinius* praedixerat; & niſi ea, quam praedixerat, exſtitiſſet, fuiſſet inexplicabilis. Anno MDCLXXXIV, Saturni mundo, qui multum a perfectione aberat, *Caſſinius*, reliquis eius Satellitibus hoc anno detectis, Colophonem impoſuit. *Hugenius* anno MDCLV. unum huiuſce Planetae Satellitem deprehenderat, qui diu ſolus fuit, & quartus in enumeratione poſt Saturnum incipienda. Anno MDCLXXI. *Caſſinius* tertium & quintum deprehendit, & anno MDCLXXIII. omnem de iis dubitationem depoſuit. Tamdem memorato anno MDCLXXXIV. primum & ſecundum vidit, poſt quos nullus alius deinde viſus eſt. Hae detectiones magnam obſervationum ſubtilitatem, & extremam perfectionem, expoſcunt, teſte errore, cui P. *Rheita*, doctus homo alioquin, obnoxius fuit, ubi exiguas ſtellas ſtatarias, novos Iovis Satellites eſſe iudicavit, & ut *Vrbano VIII.* adſentaretur, *Vrbanoctaviana Sidera* adpellavit nomine infauſto, & quod diu permanere non poterat, etſi ſtellae illae vere Satellites fuiſſent. Hi igitur Saturni Satellites digni fuerunt numiſmate, quod in Gallia cuſum fuit cum hac Epigraphe: *Saturni Satellites primum cogniti*. Dicta hactenus magna ſunt, mox dicendum longe maius eſt. D. *de la Loubere*, Regius apud Siamenſes anno MDCLXXXVII. orator, quum in illis regionibus Philoſophiae, & doctrinis pro ſuae morae brevitate operam ſedulam navaviſſet, detulit inde ſecum methodum Siamenſibus

bus familiarem ſubputandi motus Solis & Lunae. Non id tabulis more noſtro exſequuntur, ſed ſimplicibus additionibus aut ſubtractionibus, multiplicationibus aut diviſionibus, quorumdam numerorum, qui fere numquam ad coeleſtes motus referuntur, quorumque barbara & ignota nomina ſubputationis augent horrorem. Omne id confuſione & obſcuritate prope adfectata involutum eſt; quod quidem re vera etiam eſſe poteſt, nam myſteria apud barbaros in lucro ponuntur. *D. de la Loubere* horridum hoc enigma *Caſſinio* ſolvendum dedit, & iuxta ſcientiarum hac aetate in Oriente conditionem, credibile admodum eſt, etſi hae regulae ibidem ſerventur, difficillimum tamen fore aliquem eas intelligendi capacem reperire. Nihilominus *Caſſinius* haſce tenebras pervaſit, duaſque diverſas Epochas, quae nullo pacto diſtinguebantur, in iis diſcrevit; unam quidem Civilem, quae concurrebat cum anno DXXXXIV. ante Chriſti ortum; aliam Aſtronomicam, quae anno DCXXXVIII. Aerae Vulgaris reſpondebat. Feliciter etiam obſervavit Civilis Epochae tempore Pythagoram vixiſſe, illum, cuius dogmata Indi etiamnum ſequuntur, vel forte illum, qui placita Indorum ſequutus eſt. Hae Epochae deprehenſae ac cognitae, reliquorum omnium clavis erant, ſed ſumma dexteritate tractanda; & ex hac methodo evoluta patuit, Siamenſes auctores motus Solis & Lunae perſpicue cognoviſſe, neque ſubſpicari poſſe eos, adeo peregrinum & diverſum ſubputandi modum ab Occidentalibus mutuum accepiſſe. Ab Indico Kalendario ad novas in Kalendaria noſtra meditationes, quae illis haud dubie perutiles

ſunt,

ſunt, gradum ipſe fecit. Ingenium motibus coeleſtibus, eorumque concurſibus & comparationibus, omnibusque Periodis aut Cyclis, qui inde conflati ſunt, refertum. excogitavit Periodum, quam *Luniſ larem* & *Paſchalem* adpellavit, quia eo tendebat, iuxta omnium Kalendariorum Eccleſiaſticorum ſcopum, ut motus Solis & Lunae, quod ad feſtum Paſchatis attinet, inter ſe concordaret. Illa neomenias redigit ad eumdem diem noſtri anni Gregoriani, ad eumdem diem hebdomadis, & ad eamdem prope horam diei, quoad eumdem locum; id quod ſupremae perfectionis eſt in Kalendariorum tractatione. Inſuper feliciſſima eſt, & ſacra etiam ea Periodus, quod annum Ieſu Chriſti natalem Epocham habet; & ſicuti hoc anno *Caſſinius* ſuis ſubputationibus inveniebat Solis & Lunae ſyzigiam eadem die ac aequinoctium, quod fuit VIIII. Kal. Apriles, in pervigilio divinae Incarnationis iuxta antiquam Eccleſiae traditionem, evenire; Epocha erat eodem tempore Aſtronomica ob concurſum aequinoctii & neomeniae; & Civilis, ob caſus omnium, qui in terris uſuvenerint, maximos. Haec Periodus eſt annorum undecim millium ſexcentorum; & omnes aliae, quae excogitatae fuerunt, in eam incidunt. Terrarum orbis uſque in praeſens nonniſi ultimam tertiam circiter unius harum Periodorum partem vidit, quae die Incarnationis Dominicae finem habuit; & amplius quam ſeptimam partem alterius, quae incipit. Anno MDCLXXXXIII. *Caſſinius* novas Satellitum Iovis Tabulas, iis, quas anno MDCLXVIII. confecerat, exactiores, & abſolutiſſimas, edidit. Diſſertationem iis

 ad-

addidit, quae ſubtilem de Iove Aſtronomiam luculenter exponebat; & omnibus communem, facilemque (alias Aſtronomis ipſis difficilem) adeoque exactam reddebat, ut perſaepe obſervationes ſubputationi uſque ad minutum reſponderent. Itaque hae Tabulae ad Meridianum Pariſienſe ſubputatae loco ſpeculae perpetuae Pariſiis conſtitutae habitae ſunt, quae obſervationes ſuas ἀμέσως daret; quibus comparando eas, quae in aliis locis fiunt, innumerae longitudines deprehenſae ſunt. Notum eſt orbis Iovis, a nobis CLXV. millionibus leucarum remoti, cognitionem, Telluris notitiam nobis peperiſſe, & eius prope adſpectum faciemque immutaſſe. *Siamum*, exempli cauſſa, quingentis leucis nobis propius deprehenſum eſt, quam antea crederetur. Contra autem ſpatia quaedam coeleſtia, breviora quis fecerat, quemadmodum terreſtria nimis ampla; conſectaria ſatis facilia noſtri ſitus, noſtrarumque opinionum praeiudicatarum. Anno MDCLXXXXV. *Caſſinius* in Italiam remeavit. De eius in Galliam reditu nemo unus ambegit; ſiquidem ſtatim a *Colbertii* morte Sveciae Reginae pollicitationes quam maximae, repetitaeque efflagitationes, *Caſſinium* a Gallia abducere nequiverant. Filium ſuum, qui ſupererat, & qui in praeſens Academiae ſocius eſt, ſecum duxit; alter in maritima pugna contra navem Britannam, quae capta fuit, cecidit. Bononiam profectus Meridianam lineam in D. *Petronii* aede deſcriptam, quae eius ope indigebat, reviſit. Fornix, quae Solem excipiebat, ſeſe inclinaverat; & foramen in ea excavatum, a linea perpendiculari, in qua eſſe oportebat, amplius

non

non erat. *Gulielminius* huic malo remedium adhibuerat; ſed poſtea pavimentum, in quo Meridiana delineata erat, priſtinam aequitatem amiſerat. Tamdem *Caſſinius* opportune advenit, ut primum ſuum opus, & unicum, quod in Italia reliquiſſet, repararet. Suas curas & in poſterum extendere voluit; & *Gulielminium* rogavit ut Inſtructionem de omnibus, quae ad magni huius inſtrumenti conſervationem & reparationem exſequenda eſſent, publici iuris faceret; quod quidem ille ita exſequutus eſt, ut de *Caſſinio* non aliter, ac diſcipulus de praeceptore faceret, loqueretur. Haec D. *Petronii* linea Meridiana, 600000. pars circumferentiae Terrae erat; ſed aliam deſcribere in Gallia adgreſſi fuerant, quae pars quadrageſima quincta eiuſdem circumferentiae eſſet; & quae conſequenter perfectione hactenus inaudita & inſperata magnitudinem hemidiametri Terrae, neceſſarium & unicum omnium menſurarum Aſtronomicarum fundamentum, exhiberet. Haec eſt celebris Meridiana obſervatorii Pariſienſis, a *Picardo* anno MDCLXIX. inchoata: & anno MDCLXXXIII. ad Septemtriones a *De la Hire*, ad Meridiem a *Caſſinio*, continuata; & tamdem ab hoc ultimo uſque ad Ruſcinonis extrema anno MDCC. producta. *Caſſinius* igitur ei terminum impeſuiſſe gloriabatur, unicus auctor Meridianae Bononienſis, auctor vero maioris portionis Meridianae Gallicae, duorum ſcilicet monimentorum, omnium quotquot unquam Aſtronomia practica habuerit in terra clariſſimorum, & propter induſtrem hominum curioſitatem glorioſiſſimorum. Interim de Kalendario Grego-

ria-

riano Romae actum eſt. Pontifex Maximus iuſſit, ut Sacra Congregatio ſuper hoc *Caſſinium* conſuleret; & ſic Italia eum a Galliis repetere videbatur. Illa hoc tempore *Caſſinii* loco, hominem ab eo formatum & eruditum habebat, *Maraldium* eius nepotem, qui in ſcientias & Aſtronomiam propenſus, anno MDCLXXXVII. in Galliam ſe contulerat, ut ab patruo inſtitueretur. Romae autem tunc is verſabatur, & Pontifex voluit ut in Congregationem Kalendarii admitteretur, quae aliquo indigebat, qui *Caſſinii* ingenium praeſeferret. Praeter ea, quae iam narravi, *Caſſinius* magno methodorum ſolertium & ingenioſorum numero Aſtronomiam locupletavit, ut eſt inventio longitudinum anno MDCLXI. per ſolares Eclipſes, quae iis deprehendendis minime adhiberi poſſe videbantur; explicatio librationis Lunae per duorum motuum comparationem, quorum unus menſtruus eſt, alter autem circa ſuum axem aequali prope tempore fit; modus inveniendi veram poſitionem macularum ſolarium in ſuo globo; ille deſcribendi ſpirales lineas, quae omnes varietates & anomalias, adparentes Planetarum exhibeant, & eorum in Zodiaco locos quotidie oſtendant; & multi alii, qui nimirum efficient, ut ſequuturi Aſtronomi *Caſſinii* quidem ſcientiam, non vero *Caſſinii* mentem, adaequare valeant. Caelum, non modo quale in ſe ipſo eſt, ſed etiam quale fuit in mente illorum, qui aliquam de caelo ſibi ideam effinxerunt, *Caſſinius* ad unguem, & adamuſſim, callebat. Luminis oculorum, quibus nimis caeleſtia lumina ſubſpexerat, ingraveſcente aetate, quemadmodum & *Gali-*

laeus

laeus, iacturam fecit. Iuxta Mythologiam, duo hi praeſignes viri, qui tanta in coelo detexerunt, comparandi ſunt Tireſiae, qui eo quod quaedam divinorum arcanorum vidiſſet, caecus evaſit. Poſtridie Iduum Septembrium MDCCXII. octoginta ſeptem & dimidium annos natus ſine aegrotatione, ſine dolore, ſola moriendi neceſſitate, *Caſſinius* obiit. Erat eius corporis habitudo integerrima, & firmiſſima, adeo ut, quamvis nimia in ſtudiis exercitatione, & defatigatione, robur corporis langueſcat, atque infirmetur; ipſe tamen valetudine perquam commoda validiſque viribus ſemper uſus fuerit. In corpore prorſus ſano haud minus ſanus animus hoſpitabatur; nulla unquam in illo varietas, nulla diſcrepantia, nulla perturbatio, nulla aegritudo, quae cunctarum aegrotationum deterrima eſt. Adeo ſibi mirifice conſtabat, ut ne eius quidem caecitas quippiam ipſi ſolitae hilaritatis ademerit. Perpetuam hanc animi tranquillitatem & ſolida pietas, & pietatis ipſius crebra exercitia, maximopere fovebant. Caeli, qui *enarrant gloriam Dei*, Deum ipſum aliis ſuaſerunt, *Caſſinio* perſuaſerunt. Eius perrara modeſtia, & ab omni vafritie remota ſimplicitas, amorem omnium ei conciliarunt, & ſupra invidiam ipſum poſuerunt. Univerſas detectiones ſuas in commune bonum conferre haud gravabatur; ſiquidem magis ſcientiarum progreſſui, quam ſuae gloriae, inſervire gaudebat. Denique aptari eidem poteſt, quod (ipſo *Caſſinio* adſerente) de antiquis Patriarchis *Ioſephus* dixerat: *Deum nempe diu illorum vitam protra-*

traxiſſe, non ſolum ut debita ipſorum virtuti praemia iisdem largiretur; verum etiam ut ad Geometriam, & Aſtronomiam perficiendas ſpatium ipſis praeberet.

IOSEPHVS AVRELIVS DE IANVARIO.

Ioanne Antonio Sergio I. C. Auctore.

IOſeph Aurelius de Ianuario ex Horatio de Ianuario, qui in Advocationis munere diu ſe exercuit, & Caecilia de Franco, Neapoli anno MDCCI. natus eſt. Primum ſtudiorum tyrocinium in Societatis Ieſu ſcholis poſuit, in quibus, qua erat ingenii perſpicuitate, promta tenacique memoria, praeditus, egregia ſemper praebuit litterarum ſpecimina. Mox, quum Neapolitana Civitas nuperrimae tunc *Renati Carteſii* Philoſophiae ſtudiis ferueret, ſedulo in ea incubuit, feliciterque proceſſit. Quum vero egregius optimae ſpei adoleſcens Foro deſtinaretur, cultiori primum Iuris prudentiae, mox Forenſi, operam navavit egregiam; inque Forum ipſum deductus, tanta enituit protinus dicendi ſcribendique vi, ac ubertate, ut in primi ſubſellii Advocatorum numerum publica exiſtimatione fuerit relatus: quod ex eius perſpicuis Diſſertationibus Etruſco, Latinoque, ſtilo pro graviorum cauſſarum, Patriae praeſertim, patrocinio conſcriptis, facili negotio poterit dignoſci, His permotus

Ca-

Carolus Borbonius, Neapolis & Siciliae Rex, illum togae honore anno MDCCXXXVIII, cohonestavit, & in Iudicem Tribunalis, quod Neapoli Magna Curia Vicariae dicitur, fauſto omnium plauſu, & acclamationibus, elegit. Quanta vero eius ſapientiae, iuſtitiaeque laus ac fama huiuſmodi in munere effulſerit, vel ex hoc pronum erit colligere, quod quum idem Rex ſapientiſſimus de novo Legum Neapolitanarum Codice concinnando ſedulam curam ſubſcepiſſet; huic tam arduae provinciae Iudicem *de Ianuario* cum aliis praeclariſſimis Senatoribus admoverit potiſſimum. Quum autem eruditionis & interiorum litterarum decus ſemper deperiiſſet, eius rei ab ineunte etiam aetate inſignia protulit argumenta. Cuius laudis libri ab eo conſcripti, inter quos eminent *Reſpublica Iuriſconſultorum*, qua Iuriſprudentiae hiſtoriam concinna, novaque elegantia complexus eſt, & nitidiſſima eius *Latina Carmina*, fidem faciunt luculentiſſimam; quippe quae ob argumentorum inventionem, & nativum ſtili candorem, ad Latinorum Poetarum ſcribendi rationem potiſſimum exactum, magnis plauſibus ab Italis non modo, ſed a Germanis, Batavis, & Gallis, fuerint excepta. Vivit nunc, femina incomparabili *Iulia Caſtalda* uxore ducta, duobus ex ea ſubſceptis filiis, & praeclara laude effloreſcit; aliaque ingenii pignora Eruditorum Reſpublica ab eo efflagitat, & prope diem exſpectat.

Opera typis edita.

Reſpublica Iuriſconſultorum in 4. pag. 420. *Nea-*
po-

poli, Typis Felicis Muſcae ann. MDCCXXXI. & Lipſiae in 8. ann. MDCCXXXIII. cum Epiſtola Friderici Ottonis Menchenii, qua librum Auctori inſcripſit.

Iſtoria della Famiglia Montalto in 4. in *Bologna preſſo gli Eredi di Franceſco Longhi nell' anno MDCCXXXV*. di pag. 152.

Latina Carmina. Collegit Ioannes Antonius Sergius I. C. in 4. pag. 128. *abſque Praefatione, & Indice. Neapoli anno MDCCXLII.*

Legales Diſſertationes varii argumenti.

Delle vizioſe maniere del difender le cauſe nel Foro. in 4. di pag. 216. *In Napoli MDCCXXXXIIII.*

Inedita

Diſſertationes ad Grotii librum de Aequitate.

Quum autem vir eruditiſſimus *Io. Ant. Sergius* in hoc *Ioſeph. Aurel. Ianuarii* elogio concinnando paullo brevior neſcio qua de cauſſa fuerit, quam forte eius erga tantum virum amor & benevolentia, aliorumque deſiderium, poſtulare videbatur (ne hominis modeſtiam offenderet factum puto) liceat mihi quaedam huc transferre ex epiſtola viri percelebris *Frider. Otton. Menkenii* Lipſienſis, ad *Ianuarium* ſcripta, & Lipſienſi editioni *Reip. Iuriſconſultorum* praefixa, quae quanti ab eo, aliiſque Germanis, *Ianuarius* fiat, luculenter oſtendunt. Illa autem ita habent: *Invidemus Italiae tuae civem talem, quem unum op-*

po-

ponere iam turmis Germanorum poteſt. Habet illa, cur auſpicato te natum ſidere putet, poſt tot ſeculorum tenebras. Habet iam, cur in ſpem magnam ſeſe erigat, & brevi reditura per te ſperet Alciatorum Averanorumque tempora. Qui ſi pergas ita propitias tibi Muſas habere, & incumbere in gloriam gentis tuae, & Romanae Iuriſprudentiae reſtituere nitorem priſtinum, non erit poſtea, cur prae Italis tuis efferant ſe multum Germani noſtri. Sane, quae inter gentem utramque erit, mire provehet artem noſtram, & in pudorem coniiciet ignavum vulgus, aemulatio. Et tamen tenerrime te amo, & crucior deſiderio videndi tui, & in os laudandi. Malim ego unam Rempublicam tuam, quam Bartolos ſexcentos, legere, in qua ſi tamquam in ſpeculo intueri licet ingenium tuum, iam, quem conferam, quem anteponam tibi, non invenio. Tui ſimiles vix aetas praeſens adhuc multos protulit; certe inter pauciſſimos, qui tanto operi ſufficerent, unus tu fuiſti, qui calcatam nulli adires viam tandem. Eſt hic torpor ſeculi, & adſuetudo turpis ineptiarum. Dignus tu, qui in Republica Iureconſultorum dictator aut ſupremus iudex conſtituare. Vna haec noſtrorum hominum, & quidni tuorum? vox eſt; &, ſi in ſuffragia eatur, neminem habebis non plaudentem tibi. Adeo nihil eſt in doctiſſimo libello tuo, quod non placeat mirifice, & ſupra vulgarem ſenſum ſit longiſſime. Rara haec ſcriptoris fel citas, probari ab omnibus, & in omnium amorem atque gratiam venire. Hac praeſertim tempeſtate, qua nemo eſt, qui non ſuas magis, quam alienas, laudes conſectetur, & laboris noſtri fruſtra ab eruditis merces exſpectatur.

No-

Noveras ſcilicet, ſi unum id ageres, ut doceres lectores tuos, & ſevera fronte ad interpretanda iura te converteres, habiturum te ex gente noſtra, ſi non ſuperiores, certe pares aliquos. Itaque, callido artificio, urbanitate gravitatem temperaſti, & id, quod ſuave ac iucundum eſt, in horrida dumeta legum intuliſti. Vt, quae fuerat, rugoſa nuper, & auſtero vultu inceſſerat, amabilis per te facta ſit, & venuſta, Iuriſprudentia. Quem enim non argumenti ſtatim, in quo verſaris, partim novitas adliciat, partim elegantia delectet? Aut quis tam moroſus eſt noſtrum, qui incognitam huc uſque, & tot pulcherrima ſpectacula praebentem, Rempublicam luſtrare, aut confabulantibus tam docte auditorem ſe dare omnis aevi Iureconſultis nolit? Adhaec, in ipſa Reipublicae ſacraria & intimos receſſus intromiſſus, quis non maieſtatem & ſplendorem loci admiretur, & delatum ſe in ipſos hortos Venerum, aut longius progreſſus, conſtitutum in medio conſortio Deorum, putet, nec adſciſci hic in civitatem cupiat? Quis vidiſſe unquam pulchrius quid elegantiſſimis illis, artificioſiſſimeque pictis, & ad vivum expreſſis prorſus, veterum Iureconſultorum imaginibus, & exquiſitis earum coloribus, dicat, nec in his omnibus dexterrimi manum artificis adgnoſcat? Denique, quem molliſſimi cantus illi, haud extra hanc Rempublicam auditi unquam, nec niſi Ovidianis citharis accommodati, in quibus omnem ingenii tui vim expertus, omne laudum & praeconiorum ſuperaſſe genus videris, non ita demulceant dulcedine ac ſuavitate ſua, non ita extra ſe rapiant totum, ut pedem referre ex amoeniſſima hac regione neſciat, &, quaſi adligatus his deliciis, aeternum ſibi in Iureconſultorum Republica domicilium cooptet?

VIN-

VINCENTIVS LVDOVICVS CARDINALIS GOTTIVS.

Thom. Auguſt. Ricchinio Dominicano Auctore.

BOnoniae, ingeniorum parentis, optimarumque artium altricis eximiae, *Vincentius Ludovicus Gottius* ex honeſta familia ortus eſt, Nonis Septembris A. E. CH. MDCLXIV. Patrem habuit *Iacobum Gottium* I. V. Doctorem, ac publicum in Academia Bononienſi Legum Interpretem, prudentia & doctrina in paucis nobilem; matrem vero *Claram Capardam* integerrimam feminam ac liberalem. In ſinu optimorum parentum diligenter educatus artes, quibus aetas puerilis informari ad humanitatem ſolet, a Patribus hauſit Scholarum Piarum. Tredecennis patre orbatus in diſciplinam ſe tradidit PP. Societatis Ieſu, a quibus biennio Rhetoricen audivit. Erat autem in puero ingenium docile & acre, cum flagranti ſtudio, eximia pietate, ac ſingulari modeſtia, coniunctum. Anno aetatis decimoſeſto divino lumine colluſtratus, iam ſecum reputans, quam inanes & fluxae humanae res eſſent, e paterna domo ſe ſe ſubducens in Bononienſe S. *Dominici* coenobium, inſciis prorſus familiaribus & conſanguineis, ſeſe recepit, a quibus illuc accitis Praedicatorum inſtitutum amplectendi veniam conſenſionemque rogavit; qua impetrata a PP. eiuſdem coenobii in Ordinem admiſſus eſt; cuius tyrocinium Anconae poſuit.

A. MDCLXXX. inſequenti' vero publico ac ſolemni ritu ſe ſe votis religioſis obſtrinxit. Philoſophiae ſtudio imbuendus Forolivium miſſus eſt, atque in diſciplinam traditus P. *Ioſepho à Turri* Ianuenſi V. Cl. cuius exſtant Verbi Dei Inſtitutiones publici iuris factae, ac multis voluminibus comprehenſae. At vero coeptum eo praeceptore Philoſophiae curſum nonnullis de cauſſis intermiſſum Bononiae abſolvit ſub P. *Angelo Vnda* ibidem profeſſore artium eximio. Quantum ſub utroque profecerit, quanta ingenii vi ac celeritate, diſſerendi copia & acumine, ceteros anteverterit, dici vix poteſt. Iuvenem ſane in ſcholaſtico pulvere non progredientem ſed evolantem, ac ſuper alios ſeſe mirabiliter efferentem, quo felicius proveherent Superiores, Salmanticam in Hiſpania Theologicis diſciplinis inſtituendum mittere ſtatuerunt. Eſt in ea civitate Praedicatorum Coenobium ob magiſtrorum praeſtantiam, auditorum frequentiam, ſtudiorumque exercitationem, ſatis amplum & celebre, quo delecti ex Hiſpanis aliiſque nationibus iuvenes deſtinari ſolent, qui non vulgarem de ſe exſpectationem concitarint. In hanc igitur literarum palaeſtram velut in ampliſſimum theatrum deductus, tanta cum laude ſe geſſit, ut tam ſodales quam magiſtros admiratores fecerit ſui; illos quidem, ingenii amplitudine celeritate ac nitore vincens omnes; hos vero, proxime adſequens ſtudio labore ac diligentia. Quare Theologiae curſu feliciter abſoluto electus eſt praeter omnem conſuetudinem, qui in Salmanticenſi Academia Theologiam univerſam ma-

magna profeſſorum frequentia (Actum magnum hunc vocant) publice ad diſputandum proponeret . Eam vero provinciam, quam obire ſolet unus ex profeſſoribus , tanta omnium adprobatione ac plauſu ſubſtinuit, ut Salmanticenſis coenobii patres inter ſuos eum adſcribere ac cooptare curaverint; oblata etiam, quo apud ſe egregium iuvenem facilius detinerent , honorifica illius provinciae cathedra , quam is modeſte recuſavit. Eius virtutis praeſtantia ad ipſum Apoſtolicae Sedis Legatum *Duratium*, Matriti agentem, delata tantam amplisſimi Praeſulis, qui poſtea S. R. E. Cardinalis fuit, adverſus *Gottium* exiſtimationem & gratiam conciliavit, ut quum Salmanticae aegrotantem audiiſſet, Matritum transferri iuſſerit, quo citius apud ſe convaleſceret. Quadriennio in Hiſpania moratus ab Archiepiſcopo Compoſtellano *Fr. Antonio de Monroy*, iam antea Praedicatorum Ordinis Generali Magiſtro, ſacro initiatus presbyteratu Anno MDCLXXXVIII. in Italiam remeavit, ac Philoſophiae profeſſor in Mantuano coenobio deſignatus eſt. Quo munere vix inchoato a Magiſtro Generali Ordinis Romam accerſitur Philoſophia inſtituendis Minervitani coenobii iuvenibus, quos inter auditorem habuit *Fr. Ioannem Baptiſtam Lomellinum*, poſtea Salutiarum Epiſcopum. Novum ſubinde in generali Studio Bononienſi Philoſophiae curſum auſpicari iuſſus eſt, quo egregio ſane iuventutis in eiuſdem diſciplinam traditae emolumento rite abſoluto, Theologiae praelegendae in Faventino coenobio admovetur. Vno tamen vel altero poſt-

menſe vita functo *Hieronymo Baſſano* S. Th. M. Ordinis Praedicatorum, primario in Academia Bononienſi Theologiae profeſſore, Senatus conſulto id muneris gratulantibus univerſis noſtro defertur An. MDCXCV. Itaque in publicam ampliſſimi ac celeberrimi Gymnaſii lucem productus, praeconceptam de ſe exſpectationem non ſolum ſubſtinuit, ſed vicit etiam, & cumulatiſſime auxit; id quod inſignis eius ſcholae frequentia teſtabatur. Quum enim de rebus divinis non minus copioſe erudite acuteque diſſereret, quam dilucide ac nitide; & incredibili quadam polleret res omnes exponendi explicandique perſpicuitate, rara admodum illa quidem in pleriſque vel doctiſſimis viris, in quibus ut ingenium atque eruditionem mireris, optes tamen saepe lucem ac nitorem, magnus fiebat ad eum cum domi tum in Academia concurſus. Vtrobique autem continenti admiratione & plauſu ad annos plures auditus eſt, praeſtanteſque ex illius ſchola, ac diſciplina, prodiere alumni: quorum aliqui per Italiam, plures vero per Germaniam, & Pannoniam, conſtituti, adhuc vivunt eximiae doctrinae fama & nominis celebritate. Ad publici autem profeſſoris munus, Magiſtri Generalis iuſſu & voluntate, Metaphyſicae praelegendae in coenobio Bononienſi onus adiunxit An. MDCXCIX. eiuſdemque nutu etiam Magiſtri Studentium munere in eodem Generali Studio functus eſt Anno MDCCII. Porro caſtigandus eſt Cl. *Iacobus Echard*, qui Tom. II. Script. Ord. Praedic. ad An. MDCCXX. eum Generalis Studii Bononienſis Regentem fuiſſe ſtatuit, quum

cer-

certo certius ſit, numquam id muneris eidem contigiſſe, quod vix cum publicis praelectionibus conciliari potuiſſet. Interea quum provinciae utriuſque Langobardiae Praeſes deſignatus eſſet P. M. *Fr. Angelus Guillelmus Molus*, qui Ordinis univerſi poſtea Procurator, & Vicarius Generalis fuit, *Gottium* ſibi in ſocium adſcivit, qua quidem procuratione publicae deinceps rei gerendae initiari ac veluti praeludere viſus eſt. Nam Anno MDCCVIII. Bononienſis coenobii Prior adſumtus eſt, expletoque biennio univerſae provinciae Praeſes in eiuſdem provinciae comitiis electus eſt. Dici vix poteſt, qua ſedulitatis prudentiae ac vigilantiae laude, quo lenitatis ac zeli temperamento, utramque praefecturam adminiſtraverit. Tantam ſibi aequitate, manſuetudine, ingentique virtutum omnium inſtructu, quae in optimum praeſulem cadere poſſunt, ſubditorum reverentiam conciliaverat, ut caverent omnes diligentiſſime, ne quid admitterent, quod ei non probaretur. Clavum igitur eo moderante ita omnia ad morum diſciplinam, ſtudiorum fervorem, pietatis ac religionis cultum, compoſita viſa ſunt, ut omnes & ſinguli uno eodemque ſpiritu ducti praeeuntem exemplis non inviti ſed ultro ſequerentur; dubiumque relinquerent, eum ne magis diligerent, an vererentur. Anno MDCCXIV. patrii coenobii Prior iterum renuntiatur; ſed primo regiminis anno vix abſoluto Mediolanenſis urbis generalem Fidei Quaeſitorem ſe ſe inſperato, ac ne ſubſpicantem quidem, a *Clemente XI.* P. M. deſignatum intelligit. Quo ſe a delato ac per-

 mo-

moleſto munere gerendo ſubduceret, omni prece curavit; nequidquam tamen, ac irrito prorſus conatu: quare ab iucundiſſimis ſibi ſtudiis quaſi ab ubere avulſus, ac religioſae ſolitudinis quiete, quam ſibi iam pollicebatur, abſtractus, ſupremo ceſſit imperio, ac Mediolanum profectus eſt, ampliſſima omnium ordinum gratulatione exceptus; iam enim viri fama omnes pervaſerat. Id vero in primis gratiſſimum accidit *Benedicto* S. R. E. Cardinali *Odeſcalco*, qui maximam eius virtutis probitatiſque opinionem iampridem animo imbiberat, quum Bononiae Pro-Legatus eius conſuetudine uteretur. Quapropter cum ingenti eum complexus laetitia, tum prolixis benevolentiae argumentis, ſemper eſt proſequutus. Eum nimirum in quotidiana colloquia, atque in graviora conſilia, amantiſſime adhibebat: ita demum acceptum habuit, ut ſubſcepti muneris abdicationem molienti ſemper obſiſteret, egeritque officiis ac precibus apud Romanam Curiam, ne optata miſſio roganti concederetur. Aegre igitur ille quidem, ſed in commiſſi ſibi muneris partes diligentiſſime incumbebat: dum vero Fidei puritati ab omni labe, & contagione, ſervandae ſedulo invigilaret, incidit in eius manus *Iacobi Picenini* apud Rhaetos Calviniani Miniſtri *Apologia pro Eccleſiis Reformatis* Italice ſcripta, & Curiae typis vulgata Anno MDCCVI. quam nuſquam antea, hoc eſt nono ab eius editionis anno, ſe vidiſſe teſtatus eſt. Operi ſane exitioſo refellendo egregiam navaverat operam *Andreas Semery* Soc. Ieſu erudita lucubratione edita Brixiae Anno MDCCX. Tum *Hyacinthus Tonti*

Au-

Auguſtinianae familiae Theologus naviter acuteque *Piceninum* perſtrinxerat ſcripto edito Patavii Anno MDCCXIII. At, qua erat *Piceninus* audacia, malae cauſſae acrius patrocinium urgens, adverſus P. *Semery* quaſi ferox victor inſultans *Triumphum* edidit priore *Apologia* nihilo modeſtiorem; quo & Catholicae Religionis Fidem diſcerpſit, eiuſque defenſores foedis gannitibus deridendos propinavit. Hominis iactantiam atque impudentiam ferre *Gottius* non valuit, ac Religionis vindicandae zelo vehementer permotus, ſtimulos etiam addente *Ioſepho Olgiato* Novocomenſi Epicopo, *Picenini Apologiam*, vanique nominis *Triumphum*, refutare adgreſſus eſt. Igitur de *Vera Chriſti Eccleſia* adverſus utrumque Pſeudo-reformati librum nervoſe, acute, atque eruditiſſime, ſcripſit, ac tribus amplis voluminibus fere univerſi dogmatis controverſias uberrime diſputatas complexus eſt. Operis autographum *Clementis* XI. P. M. nutu Romanis Cenſoribus ſubiectum, eorumque iudicio probatum, incredibili omnium plauſu, atque ipſius Pontificis adprobatione, Romanis typis editum eſt A. MDCCXIX. Qua erat Auctor moderatione, & lenitate, id caverat in primis diligentiſſime, ne inter ſcribendum convitiis convitia referret, aut ei quidpiam excideret, quo laedi aut exaſperari adverſarius poſſet, eumque de iniuria expoſtulare. Sed cuiuſdam Cenſoris licentia (quod eius palato amarulenta ſaperent) inconſulto factum eſt, ut aculeata quaedam & acerbiuſcula operi ingeſta ſint, quae auctoris modeſtiſſimi ſtilum geniumque nullo prorſus modo referrent; quod

ſane incommodum illi accidit, ac permoleſtum, ut id omnino diſſimulare non potuerit. Quare in Colloquiis Theologico-Polemicis, quae deinde vulgavit Bononiae A. MDCCXXVII. quo impactam ſibi eo titulo a *Thoma Manella, Picenini* exceptore, in libro edito adverſus P. M. *Tontium, Indiſcreti*, hoc eſt intemperantis, criminationem, notamque repelleret, haec libere, modeſteque, praefatus eſt. *Quamquam (dicam tamdem, & verum dicam) ea*, *quae* fumus *Picenini*, ac ſuorum famam denigrans, & ignis contumeliis fervens *Manellae viſa ſunt, vel quidquid aliud mordax, in quae meam* Veram Eccleſiam *legens inciderit, teſtor mea non eſſe, nec meo genio accommodata; in cuius fidem exhibere poſſum autographum, quod apud me eſt. Cuius vero manu, aut calamo irrepſerint, ignorare licet. Opus alibi, & aliena voluntate, me abſente impreſſum, nec unius tantum emendationi, & arbitrio conceſſum, contrahere aliquid poterat, quod auctoris non eſſet. Vt ut fuerit, mea inquam prorſus non ſunt. Sciebam enim cum Haereticis pro veritate quidem certandum eſſe, ſed caritatem non amittendam; ut ad veram Fidem redeant, non ut ab ea magis arceantur, pugnandum eſſe intellectu, non voluntate*. Idem ſubinde opus ſecundis curis ab ipſo auctore recenſitum, caſtigatum, & auctum prodiit Mediolani A. MDCCXXXIV. Quae autem fuerint eruditorum de illo iudicia, non eſt huius loci, vel inſtituti, proferre. Id unum non praetermittam eo cum primis nomine commendatum fuiſſe a Cl. *Iuſto Fontaninio*, quod integrum complectatur Controverſiarum Fidei Corpus, a nullo Theologo Italice antea ſcriptum,

ptum, quo non minus Catholicae Religioni praeſidium, quam Italicis litteris novum adiectum eſt decus atque ornamentum. Iam vero doctiſſimus auctor, quum nihil in votis haberet ardentius, quam in tranquilla coenobii ſui ſtatione omni cura & honore ſolutus ſibi uni ſuiſque ſtudiis vacare, repetitis, ac fere importunis, precibus miſſionem a Quaeſitoris officio rogabat identidem, quam demum adnuente Pontifice impetravit. Anno igitur MDCCXVII. a Mediolanenſi Inquiſitione Bononiam ſe recepit, ubi paucis poſt menſibus ampliſſimi Senatus conſulto ad Polemicae, ut vocant, ſeu Controverſiarum Fidei cathedram, quam V. Cl. *Benedictus Bacchinius Abbas Caſinenſis* paullo ante vita functus magni nominis celebritate repleverat, omnium gratulatione adſumptus eſt. Anno vero inſequenti Bononienſe Theologorum collegium, quo ſuam erga uirum teſtaretur exiſtimationem, honoris cauſa inter ſuos adoptavit, eidem uti *Viro famoſo* publice decretis atque collatis honoris inſigniis. Porro optatiſſimae quieti, ac religioſo ſeceſſui, in patria reſtitutus alteram *Picenini* lucubrationem ſibi refutandam propoſuit. Scripſerat is libellum de concordia Matrimonium inter & Miniſterium, typis Tigurinis impreſſum A. MDCCIX. in quo Socratico more non ſolum adverſus ſacrorum hominum coelibatum infenſo calamo diſputaverat, ſed ad alias praeter inſtitutum dilapſus fuerat Catholicas poſitiones labefactandas. Exiguo Calviniani Miniſtri, ſed virulento, foetui iuſtae molis volumen noſter oppoſuit, quo adverſarium in omnem partem urgens,

gens, ac premens, non ſolum coelibatus defenſionem, ſed univerſi fere Catholici dogmatis vindicias eruditas inſtituit. In tres omnino colloquiorum claſſes opus diſtinctum eſt, in quarum prima Sacrorum Miniſtrorum coelibatum, in ſecunda Romani Pontificis auctoritatem in conciliis & definitionibus, in tertia vero alias Catholicas veritates propugnat, adiectis *Gregorii VII.* vindiciis. Prodiit Bononiae paullo ſerius, quam ab eo ſcriptum fuiſſet, nimirum Anno MDCCXXVII. ex Typographia *Sancti Thomae Aquinatis*. Diu tamen non licuit erudito Scriptori literarum ſuarum otio perfrui; nam Anno MDCCXX. Bononienſis coenobii Praefecturae tertio admovetur: Anno vero inſequenti, raro admodum exemplo iterum provinciae Praeſes eligitur. Generalia eodem anno univerſi Ordinis comitia celebrata ſunt, quibus ille interfuit; quumque de eligendo Magiſtro Generali ageretur, plura in eum conſpirarunt ſuffragia, quod & in poſterioribus comitiis Anno MDCCXXV. Bononiae celebratis maiore ſuffragatorum frequentia, & conſenſione obſervatum eſt, eo ne cogitante quidem, vel adnitente, imo obſiſtente. Renuntiatus Magiſter Ordinis *Fr. Auguſtinus Pipia*, qui paullo poſtea S. R. E. Cardinalis fuit, pro ea, qua pollebat eruditione ac doctrina, ſui muneris eſſe omnino duxit ſacra ſtudia ſic promovere ac reſtituere, ut non ſolum ſcholaſticis ieiuniſque inſtitutionibus, ſed Polemicis etiam atque eruditis iuventus noſtra imbueretur. Coniectis itaque in *Gottium* capaciſſimae mentis oculis hanc illi Spartam adornandam commiſit, ut inſtituendis Thomi-

ſti-

ſticae ſcholae candidatis abſolutiſſimum compararet Scholaſticae Dogmaticaeque Theologiae curſum nova methodo, ſuoque prorſus ſtilo, acuto nimirum, perſpicuo, atque erudito. Ingentem oppido laborem, & ſi variis diſtentus curis, atque occupationibus, dicto audiens alacriter ſubiit, atque opus ampliſſimum continenter proſequutus voluminibus omnino ſexdecim comprehenſum abſolvit, vulgavitque Bononiae ex Typographia S. *Thomae Aquinatis*. Per id temporis adſumtus eſt in Romanam Sedem *Benedictus XIII.* Ordinis Praedicatorum decus immortale, cui noſter ob doctrinae famam non compertus modo, ſed acceptiſſimus fuerat; quum ſingulis annis, quibus Provinciae praefuit, eum officii cauſa Beneventi conveniret, amantiſſime ſemper atque honorifice ab illo exceptus. Fuit propterea omnium fere praeſenſio in Sacrum Cardinalium Collegium a ſapientiſſimo Pontifice *Gottium* prae ceteris adligendum fore, non ſolum quod ex eodem Pontificis Inſtituto, eademque foret utriuſque Langobardiae provincia, ſed quod eximiae probitatis atque ſapientiae fama ceteris per Italiam conſtitutis eiuſdem familiae hominibus facile omnino praecelleret. Quum vero Purpurae honorem, quem *Benedictus* in Ordine Praedicatorum acceperat, eiuſdem Ordinis Generali Magiſtro *Fr. Auguſtino Pipiae* iure quidem meritoque primo reddendum conſtituiſſet, dilata quidem de *Gottii* promotione, ſed aucta in dies & confirmata exſpectatio. Is vero quum nullo honoris ambitu ac deſiderio, & ne cogitatione quidem, adficeretur, ſalvam ſibi fore pri-

va-

vatae quietis felicitatem, ut ut alii importune ac intempeſtive non ominarentur ſolum, ſed gratularentur, iam fere pollicebatur. Sed adfuit inſperato tempus, quo privata eius virtus ſuo in lumine conlocaretur, & novo cumulata ſplendore longius coruſcaret. Nam *Benedictus XIII.* in Conſiſtorio ſecreto pridie Kal. Maii Anno MDCCXXVIII. *Gottium* Bononiae agentem, deſignatum primo Ieroſolymitanum Patriarcham, S. R. E. Presbyterum Cardinalem creavit. Rei nuncius magnis itineribus Bononiam miſſus eum ruſticantem in ſuburbana *Ronzani* domo cum aliis coenobii ſui ſodalibus adiit, ac tale quidpiam ne ſubſpicantem quidem exhibitis Apoſtolicis literis, atque Cardinalitiis inſigniis, ex improviſo ſic occupavit, ut repentino fulmine ictus omnino videretur. Sic enim ipſe de ſe ad amicum ſcribens teſtatus eſt. Tum intimo doloris ſenſu adventitii honoris ſarcinam collacrimari, fortunam ſuam prolixe conqueri, ac niſi amicorum auctoritas iudiciumque prohibuiſſet, latebras meditari, & fugam, quo moleſtiſſimam a ſe dignitatem deprecaretur. Obſervatum eſt eamdem in domum aliquibus ante annis ſe ſe recepiſſe *Fr. Vincentium Mariam Vrſinium* S. R. E. Cardinalem a *Clemente X.* vix renuntiatum, iiſdemque humilitatis ſenſibus eodem in loco ampliſſimam dignitatem ab utroque exceptam fuiſſe. Quare utriuſque rei memoria ibidem hoc monumento conſignata eſt. *Humilis domus haec Fr. Vincentii Mariae Vrſini Romani, qui poſtea Benedictus XIII. quod huc fruſtra a ſibi delatis Cardinalatus honoribus declinarit, ſeceſſu*
pri-

primum, & fama in aevum perilluſtris, dein Fr. Vincentii Ludovici Gotti Bononienſis Academiae Profeſſorum literatiſſimi hic inter amicorum plauſus ab eodem Benedicto ſacra purpura donati per nuncium VI. Non. Maii MDCCXXVIII. modeſtia, gemitibus, & animi reluctantia, poſteritati celebris frequentia, demum omnium, & ſingulorum Felſinae ordinum optimo viro civique ſuo gratulantium clariſſima, dum duos privatos Ordinis Praedicatorum alumnos virtute pares excipiendo S. R. E. Cardinales effectos orbi univerſo poſtea remittit, nuſquam maximas virtutes latere otia ſua Praedicatorum Ordinem ad maiores pro Eccleſia labores excitari immo & rapi, qualecumque H. M. teſtatur. Interea magno, ac fere incredibili, laetitiae ſenſu ab omnibus Bononienſium ordinum hominibus optatiſſimae rei nuntium exceptum eſt: quapropter in gratulationem effuſa urbs univerſa extra urbem profecta eſt Purpurati civis ſui manus exoſculatura. Is vero in communis gaudii ſignificatione diſſimulato, quo intime ob amiſſam, ut ſibi videbatur, omnem vitae quietem, & felicitatem, compoſito ad humanitatem vultu, ita adeuntium omnium officia excipiebat, ut nec ingenitae ſibi modeſtiae detraheret quicquam, nec acceptae dignitati iniurius videretur. Septimo Idus Maii a *Georgio* S. R. E. Cardinali *Spinula*, tunc Bononiae a latere Legato in D. Dominici templo Cardinalatus inſignia, quae *Fr. Ioſeph Ludovicus de Anduiar* Ord. Praed. tunc Pontificiae Bibliothecae Praefectus, nunc Epiſcopus Bobienſis, Pontificis nomine ad ipſum detulerat, ſolemni ritu, ſplendidoque ad-

para-

paratu, ſubſcepit. Sacro deinde Pentecoſtes die, quae fuit XIV. Kal. Iunias rem ſacram in eodem templo faciente *Iacobo* S. R. E. Card. *Boncompagnio* Archiepiſcopo Bononienſi, cooperantibus vero *Thoma Torello* Epiſcopo Forolivienſi, & *Thoma Cervioni* Epiſcopo Faventino, Patriarcha Ieroſolymitanus conſecratus eſt. Mox in Vrbem deductus, atque a SS. Pontifice omni benevolentiae ſignificatione amantiſſime exceptus, Sacris, ut vocant, Congregationibus Generalis Inquiſitionis, Epiſcoporum, & Regularium, Indicis Librorum expurgatorii, Sacrorum Rituum, Diſciplinae Regularis, Examinis Epiſcoporum, Tridentini Concilii Interpretum, Indulgentiarum & Reliquiarum, Propagandae Fidei, ac Librorum Orientalium Correctionis, adnumeratus eſt. Iam vero quam apud omnes excitaverat eximiae probitatis ac doctrinae exſpectationem principio cumulatiſſime aequavit. Nam ad illam quod attinet, nihil in eo immutavit ſubſceptae dignitatis ſplendor de prioris vitae ratione, quam ſancte apud ſe conſtituerat ad mortem uſque conſtanter tueri, quemadmodum praeſtitit aequabilis ſemper, ac ſimilis ſui. Nihil ergo prius habuit, quam ut Ordinis ſui legibus ſolutus ſecundum eaſdem vivere prorſus videretur. Idem propterea illi, quod ante iniectam Purpuram orandi ſtudium, eadem menſa, victuſque temperantia, eadem fere temporis, horarumque partitio, quarum antelucanas plures poſt rerum aeternarum contemplationem, pias precationes, laudumque divinarum penſum, ſacris ſtudiis impendebat. Otii impatientiſſimus ne particulam qui-

quidem horae ſine operae pretio elabi ſibi patiebatur. Si quid è graviſſimis, ac quotidianis, occupationibus reliquum temporis foret, id totum legendo, commentando, ſcribendoque, indulgebat. Nullis vero adminiſtris, ſtudiorumque adiutoribus, ſed ne amanuenſibus quidem acceriſitis, propria ipſe manu exarabat omnia, ac conficiebat tam facile, atque expedite, ut nulla fere in eius autographis adpareat litura. Statis omnibus Cardinalium Sacris, Conſiſtoriis, Congregationibus ſemper, niſi morbo impediente, diligentiſſime interfuit. Quaecumque in illis ad conſulendum, iudicandumve proponerentur iugi antea meditatione ſuis ab ipſo ponderibus ac momentis rite expenſa ac librata ea perſpicuitate, prudentia, ac doctrina expediebat, ut eius reſponſa ac ſuffragia doctiſſima haberentur in primis atque rectiſſima. In iis ferendis numquam ex adfectu, ſemper vero ex incorrupto animi ſenſu ac praeiudiciis vacuo, quam adſequutus eſſet ex rationum momentis veritatem libere & candide proferebat. Nec tamen id quod ſentiret pertinaciter tuebatur, nec diſſentienti contradicebat; tanta erat in omnes reverentia ac modeſtia. In graviores etiam ac ſecretiores conſultationes a Summis Pontificibus frequenter adhibitus, tum ſaepe de ſententia in rebus arduis ac perplexis ad Fidem, mores, aut diſciplinam, ſpectantibus vel coram, vel per epiſtolas ex variis terrarum partibus rogatus, nulli umquam conſilii ac doctrinae ſuae copiam negavit; ut mirum videretur hominem in varia diſtractum, ac pro Eccleſia diſtentiſſimum Commen-

mentariis ſcribendis vacare potuiſſe. Mirifica tamen ac ſingulari ſollertia ſemper aliquid temporis e quotidianis occupationibus ſibi ſuiſque ſtudiis decerpebat, ac reſervabat. Ac primo quidem *De eligenda inter diſſidentes Chriſtianos ſententia* luculenter diſputavit adverſus *Ioannem Clericum*, e Remonſtrantium Secta apud Batavos magni nominis Scriptorem, qui operi *Hugonis Grotii* de Veritate Religionis Chriſtianae adiecto ſpecioſi tituli Commentario Catholicae Religionis principia labefactare molitus eſt. Opuſculum ſane exitioſum ſolide accurateque refutavit noſter, adverſarii fundamentis ab imo convulſis, edito eiuſdem tituli libro ac Romae impreſſo An. MDCCXXXIV. quem quum Ratisponenſes typographi iterum cudiſſent A. MDCCXL. hoc de illo Ephemerides Germanorum tulere iudicium: *Publice adparuit hiſce diebus liber egregius auctore celebri Cardinali Gottio, qui in noviſſimis Cardinalium Comitiis parum abfuit ab Apoſtolico Throno, atque orbi univerſo praeclaris ſuis operibus maxime innotuit. Solide ac nervoſe adverſarium refellit. Huius Eminentiſſimi Auctoris ſtilus purus, perſpicuus, riteque methodicus. Cum iſta refutatio, tum cetera illius opera, magna eruditione, doctrina ſolida, ac ſumma moderatione, ſcripta ſunt. Quae in medium adfert momenta & rationes ex eorum genere ſunt, quibus Eccleſia Catholica adverſus Fidei hoſtes pugnare ſolet; ſed nova methodo & arte exhibentur, & grate adeo legentibus ingeruntur, ut cauſae vim, & fundamentum ſtatim intime adſequantur. Quare eximii huius Cardinalis labor & inſtitutum plurimi facienda ſunt.* Maius

ius deinde opus par eius ingenio, eruditioni, ac pietati, molitus eſt, quo veritatem Religionis Chriſtianae adverſus Atheos Polytheos Idololatras Mahumedanos & Iudaeos adſereret ac vindicaret. Sectarum omnium, quae adverſus Chriſtianam Religionem pugnant, erudita ac continenti demonſtratione falſitatem evincit: tum Catholicae Fidei propagationem, myſteria, dogmata, luculenter illuſtrat, tanto rerum argumentorumque adparatu, ut promtuarium inſtruxiſſe videatur, quo profligandis ac delendis Fidei noſtrae adverſariis parata Theologis atque expedita ſint arma. In duodecim omnino volumina opus eſt diſtributum, quorum primum prodiit Romae ex Typographia *Rochi Bernabo* Ann. MDCCXXXV. duodecimum vero ac noviſſimum ex eodem praelo An. MDCCXL. Duobus inſequentibus annis, qui eius vitae ſupremi fuerunt, etſi variis adflictaretur incommodis, in divinarum ſcripturarum ſtudio quieſcendum atque immoriendum ſibi conſtituit. Quare iis legendis, meditandis, atque illuſtrandis, quantum temporis habuit ſubſecivi, ſedulo impendens, adiecta Patrum, qui in divinos libros ſcripſere, continenti lectione, adornare coepit in Geneſim commentarios longe doctos & luculentos, quos ad caput uſque vigeſimumquintum eiuſdem libri deduxit. Poſtremum hunc tanti Scriptoris laborem, & foetum, quamquam eius morte interciſum, ſi aliquando lucem adſpexerit, minime vereor Auctoris ſui nomini, ac celebritati reſponſurum. Iam porro quae fuerint eius munera & ſtudia: nunc praecipua quaedam de

illius moribus ac virtutibus exſequemur. Ac primo quidem pietatis erga Deum, ac Religionis ſtudium, quod a puero rite hauſerat, per omnem vitae gradum mirifice fovit, & auxit. Prae Deo quem ſibi agendorum omnium finem unicum conſtituerat, nihil erat in humanis, cujus deſiderio tangeretur. Infra eum poſita omnia flocci ac nihili prorſus faciebat, unde illud uſurpabat identidem „ *omnia vanitas praeter amare Deum*. „ De ſupernis aeterniſque rebus, ut cogitabat identidem atque commentabatur, ita & diſſerebat cum aliis animo prorſus lubente, ac ſingulari quadam dulcedine; optabatque vehementer ut omnium animi in Dei raperentur amorem & cultum. In his, quae ad eum exercendum ac promovendum pertinent, nulli aut labori aut diligentiae parcebat, ac vel ipſa corporis alacritate, oris reverentia, ac modeſtia, quo pietatis ſenſu erga ſacra omnia adficeretur, patefaciebat. Et quamquam in rerum divinarum cognitione defixus per ſtudia ſua continenter haereret, ſtatum tamen ac certum quotidie tempus ſeponebat, quod orationi, cujus exercitium ne in graviſſimis quidem occupationibus intermittebat, omnino tribueret. Rem divinam quotidie, praemiſſa bis, terve, in hebdomada exomologeſi, ſumma cum religione ac ceremonia faciebat. Deiparam Virginem praecipuo amoris, ac pietatis ſenſu colebat. Secundnm hanc S. Parentem *Dominicum*, *Thomam Aquinatem*, *Vincentium Ferrerium*, venerabatur impenſe; atque eorum, aliorumque ſui Ordinis SS. virtutes, ceu ſpeculum, ad quod ſe componeret, an-

te

te oculos ſemper habebat. Catholicae vero Religionis ac diſciplinae zelo intime commovebatur. Quidquid ad eam tuendam vel amplificandam quoquomodo pertinere intelligeret, id nulla habita laborum curarumque ratione fortiter adripiebat promovebatque conſtanter. Quare adverſus Fidei hoſtes bellum acre ac perpetuum geſſit, nec iis refellendis ac revocandis a ſcribendo & diſputando ſibi unquam temperavit, ut Fidei adſertor, ac Religionis vindex, adpellari iure, ac merito poſſit. Prae ceteris autem virtutibus maxime incubuit ut omnium parentem altricemque coleret humilitatem Chriſtianam, non enim ea ſolum vitae parte, quam privatus geſſit, ſed, quod eſt difficilius, in ipſo ampliſſimi honoris faſtigio, accurata ſui ipſius cognitione, propriaeque imbellicitatis perſuaſione animo praeconcepta, quam demiſſe de ſe ſuiſque rebus ſentiebat, de quibus nihil dicebat unquam niſi neceſſitate impellente. Quod ſi eiuſdem operum mentio cum laude a quopiam ingereretur, verecundia humilitatis indice ſtatim ſubfuſus vel ſermonem abrumpebat, vel aliorſum deflectebat. Perpetuis demum laboribus, ſtudiis, ac vigiliis, vitaeque innocentia, eo ſemper contendit, ut doctiſſimus eſſet ac ſumme probus, non ut talis vulgo videretur. Quare & latere omnino, atque ab omnibus ignorari voluiſſet. Quod tunc primmum declaravit, cum ampliſſimo Quaeſitoris Fidei munere ſeſe abdicavit, aut invitus in Ordine praefuit; quum vero maxime cum intimo doloris ſenſu Cardinalitiam dignitatem admiſit, quam eodem

 vul-

vultu deinceps intuitus eſt, quo eam ingratis ac repugnanter accepit. Saepe ipſum audivi de repetendis domeſticis clauſtris ex animo diſſerentem, quo profecto ſe recepiſſet, niſi fruſtra irritoque conatu id ſe tentaturum intellexiſſet. Id vero crebris uſurpare ſermonibus ſolebat, quidquid eſt ſplendoris aut commodi in eminentiſſima dignitate, id totum eſſe in adſpicientium oculis; ſola onera, labores, & curas, purpuram geſtanti haerere indivulſe. Nihil propterea ex illius acceſſione commotus de ſui deſpicientia nihil remiſit. Amicitias eadem familiaritate qua antea coluit, non alio ſe immutatum oſtendens quam quod amicorum commodis ſerviret impenſius. Suis familiaribus, ac domeſticis ſiquid praecipiendum eſſet, rogantis potius more id faciebat quam imperantis. cavebatque diligenter, ne quempiam gravaret moleſtia. Quibuslibet, etiam infimatibus, ſe ſe facilem aditu adloquioque exhibebat, cum primis ſui Ordinis fratribus, e quorum numero unus religioſae vitae cultu habituque exteriore, quem ſemper retinuit, omnino videbatur. Eos non tantum nomine ſed re complectebatur ut fratres, nunquam paſſus ea ſibi exhiberi ab illis obſequia, quae Purpuratis Patribus deferuntur. Illorum convictu & conſuetudine vehementer delectabatur: cum iis ſuas ille ferias agebat, animumque urbanis negotiis ſubductum communi menſa & hoſpitio familariter uſus ruſticando reficiebat. Praecipua vero in Magiſtrum Generalem Ordinis obſervatione fuit, quem omni obſequii ſignificatione impenſe coluit, atque demiſſe. Nihil

etiam

etiam Cardinalis ſuorum operum in lucem protulit, quod eius venia & facultate, Theologorum Ordinis iudicio & cenſura, adprobatum non eſſet. Igitur homini infra aeſtimationem omnium ſe metienti, honores vero ac dignitates nauci facienti, pronum ac facile fuit cetera omnia infra ſe poſita fluxa & caduca deſpicere. Corpori ſuo, praeter ea quae ad vitam tuendam neceſſaria ſunt, delicias omnes ac voluptates interdixit. Inſtituti ſui ſervantiſſimus cuſtos, eius leges ſibi nunquam laxavit; Cardinalitia auctus dignitate nihil de prioris vitae conſuetudine immutavit. Cibo & potu quantum fieri poterat abſtinentiſſimus fuit: uno tantum vel altero obſonii genere, eoque vulgari ac parabili contentus, vinoque dilutiſſimo uſus: ſolo fere coenabat iuſculo; ſex vero ſeptemve horas vix dormiebat. In conſtituenda familia, in domo inſtruenda atque ornanda, in ſupellectilis ſumtu ac rerum omnium adparatu, ea uſus eſt moderatione, quae munditiam prae ſe ferret magis, quam cultum. Divitiarum vero ac pecuniae ſenſu ne adficiebatur quidem. Quem ex publici Profeſſoris munere capiebat cenſum, aliaſque obventiones, coemendis pro communi bibliotheca libris, dum coenobitam ageret, ſtatim erogabat. Nullos iam Cardinalis a Pontifice reditus proventuſque petiit annuos, ultro tamen collatos non recuſavit. Nulla prorſus a Principibus accepit munera, contra ac iudicarint nonnulli, qui de rebus ſibi nondum exploratis atque compertis temere imprudenterque pronuntiant. Eam autem quam ultimis tabulis in ſacros, religio-

 ſos,

ſos, ac pios, uſus coenobio ſuo Bononienſi reliquit pecuniam, partim ex privati largitoris munificentia, partim ex frugalis vitae parſimonia in eam rem ſepoſuerat. A rei familiaris praefecto accepi datique rationes, cum ob eius probitatis fideique conſcientiam, tum ob rerum ipſarum neglectum, exigere nullas conſuevit; id unum ſciſcitatus interdum, num ad quotidianos, vel novos ſumtus, atque eleemoſynas cum primis faciendas ſubpeterent neceſſaria. Magnam enim pecuniae vim in pauperes quotannis erogavit: tunc etiam, quum nonniſi infra neceſſarios ſumtus annuum cenſum obtineret. Numerum habebat apud ſe plurium familiarum ſcriptum, quorum anguſta res, vel gravis eſſet inopia, ac certam pecuniae ſummam ſingulis menſibus ſublevandis ſingulis deſignaverat. Occultis etiam largiſque ſubſidiis, remota omnium conſcientia, plurimis opitulabatur, quos in lucem prodire vetuit largitoris modeſtia, & accipientium pudor. Ex quo facile quiſque intelliget qua eſſet in omnes miſericordia, & qua ceteros, proximos caritate complecteretur. Iis adiuvandis atque fovendis quamcumque poſſet operam, labores, officia, conſilia, amantiſſime impendebat. Nemini ullo tempore aditum ad ſe intercluſum voluit: omnes perbenigne excipiebat, audiebatque patientiſſime, ac verbis humaniſſimis recreabat. Nemo ab illo contumelioſe habitus, ac ne quidem adpellatus acerbius. Eoſdem ipſos, quos adverſus ſe ingratos repererat, novis beneficiis cumulavit & auxit; iniuriarium immemor ſemper, beneficiorum vero numquam. Ea fuit ſedatione

men-

mentis, animique placabilitate, ut iracundiae vocem nunquam exſereret, nec vultum quamvis laceſſitus mutaret. Dum Fidei Quaeſitorem ageret, ſi quos a recta fide aberrantes, aliorumve criminum reos in poteſtate haberet, nihil non tentabat, monitis, hortationibus, ac doctrina, illos perhumaniter inſtruens, ut leniter ab erroribus revocaret: quos ſi publice eos eiurare contingeret, verbis amantiſſimis compellabat, & lacrimis uſque permovebat, quo ab iiſdem poenitentiam eliceret. In reprehendendis demum corrigendiſque ſibi ſubiectorum vitiis leni potius quam ſoluta aut exaggerata oratione utebatur, ut vitia non homines plane inſequi videretur. Fuit apud ipſum famulis ipſis mitiſſima ac ſuaviſſima ſervitus, quorum neminem corripiebat acrius, ſed blande monebat, eorumque errores ac mendas excuſare ac interpretari benignius ſolebat. Hanc autem hominis lenitatem ac manſuetudinem non efficiebat ipſa naturae conſtitutio, aut corporis temperatio; erat enim habitus melancholici bile accenſi, quales eſſe fere ingenioſos omnes Ariſtoteles adfirmat. Virtus ipſa longa exercitatione niſuque parta eius animi perturbationes in officio continebat, iiſque cum impetu inſurgentibus principio ſemper obnitebatur. Nihil ſane diligentius ſtuduit, quam ut cupiditates omnes motuſque animi a ratione abhorrentes quam maxime frangeret, ſeque ipſum in omnibus vinceret. Quod quidem difficillimum ac pulcerrimum victoriae genus in rebus maxime adverſis atque inopinatis ſaepiſſime eſt adſequutus. Conſanguineorum atque adfinium

 amo-

amorem, quo ſinguli adfici ſolent, ita moderabatur, ut in adverſis eorum caſibus ne commoveri quidem videretur. Quapropter ſuorum funera, ſed *Ioſephi* fratris in primis, quem diligebat impenſius, inopinatum interitum improviſo ſibi nuntio delatum forti animo tulit, divinae ut ſolebat in omnibus ſumma aequabilitate ſeſe voluntati committens. Ab ipſa Cardinalatus inauguratione ſuos graviter monitos voluit, ne quidpiam ab eo exſpectarent, quo tenuiorem domeſticae rei fortunam augere aut ſubſtinere decentius poſſent. Quare ne minimum quidem e ſuis proventibus iis vivens erogavit; neque moriens contuliſſet, niſi a graviſſimis viris & conſcientiae ſuae arbitris, quorum dicto audiens erat, firmiſſimis probatum eſſet rationibus, ſuis aliqua omnino praeſtanda eſſe ſubſidia. Exiguo igitur nepoti ex fratre adſignato proventu, uni ex eius filiis Clericali militiae adſcripto annuum conſtituit cenſum, quo in adreptae vocationis ſtadio ad litterarum ſtudia contendenti aditus non relinqueretur obſtructus. Hae autem, quas indicavimus virtutes, quamquam per ſe egregiae, eo pluris in eo faciendae erant, quo arctius cum omnium moderatrice prudentia coniunctae. Ea duce ac comite in omni vitae parte ſeipſum & actus ſuos in ſolum Deum eiuſque gloriam per media huic fini adſequendo conſentanea ſemper direxit. In magiſtratibus ſui Ordinis obeundis, in Generalis Fidei Quaeſitoris officio, in familiari gubernatione, in conſiliis dandis aut capiendis, in negotiis tranſigendis, prudentia uſus eſt ſingulari; non ea quidem,
quae

quae carnis dicitur, eſtque Deo inimica, ſed quae ad Evangelii normam exacta, tantum eſt a fuco & calliditate aliena, quantum veritate gaudet atque ſimplicitate. Has ille virtutes quum haberet ingenitas, ab omni fallacia, ſimulatione, mendacio, aſſentatione, aulae technis & artibus vehementer abhorruit ac diligentiſſime cavit. Et ſi autem veritatis cultor eſſet eximius, in aperiendis tamen animi ſui ſenſibus erat adprime cautus, minime ſubſpicioſus, ſed circumſpectus ac providus, ut illi non facile quiſquam poſſet imponere; unde & eius ſermoni tanta inerat cautio & cuſtodia, ut nonniſi conſulto ac meditato loqui videretur. Hac vero agendi circumſpectione nuſquam laudabilius eſt uſus eſt, quam in comitiis pro eligendo Pontifice, quibus ſemel iterumque interfuit. Leviter ego, & quantum ſatis eſt ad hominis prudentiam, virtutemque indicandam argumentum attingam periculi plenum. Statuerat is apud ſe in eo Senatu, ubi potius petenda atque exſpectanda ſunt a Deo reſponſa, quam propria excogitanda vel danda conſilia, praecipuas eſſe partes ſilentii & modeſtiae. Itaque non modo procul ab omni ſtudio ambitionis, ſed etiam curae ac ſollicitudinis fuit. Se ſe colligens ac ſecum habitans ſibi uni ſuiſque ſtudiis inter cellulae ſuae anguſtias vacabat, nuſquam ſe ingerens, nemini ſe inſinuans, nec quid aut de ſe, aut de aliis ſtatueretur, ſed quid ſibi de digno ad ſupremam cathedram promovendo decernendum, curabat. Integer propterea & nullo praeoccupatus adfectu ad conſultationes & ſuffragia accedebat; atque

hanc

hanc ille perſonam in utriſque egit comitiis omnium commendatione probatiſſimam. Quae autem foris per omnium ora de eo, publice circumferrentur, qui de illius ſapientia, religione, ac pietate ſermones, quae concepta de illius exaltatione ſpes, quae de implenda per ipſum ſede ominationes & vota, malim ab aliis, quam a nobis dici, qui ampliſſimi Cardinalis merita ex eius virtutibus, non ex vulgi rumoribus ac praeiudiciis, aeſtimamus. Pluris facienda ſunt quae de illo ſummi, ac principes, viri tulere iudicia. Doctrinae, ac probitatis eius celebritas tantam ei in utraque fortuna exiſtimationem conciliaverat, ut continenti plauſu exceptus ab omnibus honorificentiſſime haberetur. Adhuc iuvenis Cardinalis *Duratii*, tunc apud Hiſpanos Apoſtolici Legati, tantam iniit gratiam, ut mirum in modum deinceps aucta, Bononiae Legatus a latere *Gottium* incredibili favore ſit proſequutus. Cardinali *Odeſcalco* Mediolanenſi Archiepiſcopo ita fuit acceptus, ut ab eo, quemadmodum commemoravimus, dum Quaeſitorem Fidei ageret, ſeiungi ac divelli aegre admodum pateretur. Senatores etiam ac proceres Mediolanenſes cum ipſo certarunt officiis, ut ſuam erga hominem, quem plurimi faciebant, venerationem teſtarentur, cuius argumenta exhibuerunt neque pauca neque communia. De ſingulis Cardinalibus qui Bononienſi legatione functi, perhonorifice eum habuerunt, dicere ſuperſedeo, qnamquam ſilentio omnino praetereundus non ſit *Georgius* Cardinalis *Spinula*, qui homini favit impenſius ac liberalius. Huius deinde muni-

nificentiam aemulatus Romae *Franciſcus* Cardinalis *Barberinius* ultro e ſuis proventibus quingenta annuatim ei adſignavit argenteorum, profuſae in illum exiſtimationis argumento. Sed quod raro admodum & paucis fere ſapientibus contingit non tam externorum, quam indigenarum civiumque ſuorum, iudicia in ſe amantiſſima atque honeſtiſſima expertus eſt, ut ab omnibus patriae ſuae ordinibus & obſervaretur eximie, & diligeretur impenſe, cuius rei clariſſima indicia dedit urbs univerſa, quum publicis laetitiae atque honoris ſignificationibus delatam ei purpuram gratularetur. *Victorio Amedeo II.* Sardiniae Regi eximio rectoque hominum aeſtimatori, maximo fuit in pretio; ſed & paternae virtutis heres ac filius *Carolus Emmanuel* non minus eum ſubſpexit: nam illius ſapientiae tantum detulit, ut in profeſſorum Academiae Taurinenſis delectu, atque in nonnulla eorum doctrinae cenſura, eius conſilio uſus fuerit, atque iudicio. Fuit & illud magnae de eo opinionis luculentum teſtimonium *Mariae Clementinae Sobieſki* vitae innocentia, virtutumque fama, aeternum commendandae, quae ut tanti Cardinalis ſapientia, & probitate, ita conſuetudine ac piis adloquiis vehementer adficiebatur. Quapropter & coram, & abſens, per epiſtolas de conſcientiae ſuae arcanis egit cum illo frequenter, ac penitiores cordis ſui receſſus eidem aperuit; ſapienter rata ſe tanti magiſtri conſiliis, inſtitutis, & monitis, in adrepta Chriſtianae perfectionis via tutiſſime progreſſuram. Iam demum quo loco fuerit apud Summos Pontifices paucis

expediam. *Clemens XI.* qui vel invitum Mediolanenſi Inquiſitioni admoverat, eius commentarios adverſus *Piceninum* & mirifice commendavit, & Scriptorem de Eccleſia optime meritum dignum omnino pronunciavit, qui ſingulari in Eccleſia honore adficeretur. *Benedictus XIII.* praeconceptam de illo exiſtimationem, dum eum in Cardinalium coetum adlegit, luculentiſſime confirmavit. *Clemens* vero XII. quanti eum faceret cum aliis ſignificationibus, tum effuſa in eum liberalitate, cumulatiſſime oſtendit; nam illum ne cogitantem quidem annuis proventibus ultro collatis non ſemel donavit & auxit. Denique *Benedicti XIV.* Eccleſiae clavum feliciter moderantis exſtant praeclara de illo teſtimonia in eruditis operibus, quae ante Pontificatum magno rei literariae atque Eccleſiaſticae incremento vulgavit, quibus non ſine laudis praefatione *Gottii* operum mentionem ingerit, atque honeſtiſſimis praeconiis cumulat. Qui autem viventem Pontificiae dignationis indiciis ornavit, ex aegritudine vero decumbentem humaniſſime convenit, mortuum quoque publicis amoris & moeroris ſignificationibus eſt proſequutus. Sed tempus iam fuerit, ut de ſuprema eius vitae parte dicamus. Annum aetatis attigerat LXXVI. valetudine quidem, ut erat imbecilla curporis habitudine, non admodum vivida, ſed neque infirma, & quantum ad hominis ſtudia ac munera continenter obeunda ſubficere videbatur. Sed perincommoda atque exitioſa eidem accidit poſtremi Conclavis diuturnitas ad aeſtivos calores producti. Nam inde coepit adfectione pecto-

ris,

ris, cruriumque tumore laborare. Ad haec ſequuta corporis macies, virium attritio, membrorum laſſitudo, qua ita frangebatur, ut ſcalas per ſeſe ſcandere ſine gravi angore vix poſſet. Biennio fere his conflictatus eſt morbis, quorum cauſa Medicorum induſtriam ſubterfugiebat, facto etiam nequidquam remediorum periculo. Iis tamen modo remittentibus, modo recrudeſcentibus, nihil ſibi e laboribus temperabat. Nam & Congregationes adibat diligenter, nec ſtudia ſua intermittebat. Imminere tamen corporis ſui diſſolutionem fere praeſentiens ac ſaepe praenuntians, nihil aliud iam eius ſermones ſpirabant praeter infeliciſſimae huius vitae taedium, atque contemtum, ipſoque rerum omnium terrenarum faſtidio indicabat, quo ſtudio immortalis vitae requietem opperiretur. Auctum deinceps pectoris vitium ac reſpirationis incommodum, quo ſingulis fere noctibus paucis a cubitu horis repente oppreſſus lecto excedere cogebetur. Acrius tamen ac vehementius morbi vis erupit hominemque fere proſtravit Idibus Septembris Anno MDCCXLII. Nam ad pectoris adfectionem ſpirandique difficultatem acceſſit acuta febris, urinarumque ſuppreſſio, quibus ad extrema iam gradum fieri indicatum eſt. Nihilo tamen ſecius ingenti fractarum virium molimine mane inſequenti e lecto ſurgere, ac Dominicae Crucis reverentia, cuius ea die Exaltationis memoria agebatur, ſacris operari devotiſſime voluit. Sed increbreſcente vi morbi eo ſtatim deductus eſt, ut Medici prorſus actum de eius vita monerent,

rent, qua denunciatione placido ac ſereno vultu accepta, ſacris omnibus Chriſtianae religionis ſubſidiis ad capeſſendam aeternitatis viam muniri ardentiſſime petiit: dumqne illi divini Corporis viaticum porrigeretur, cum anteactae vitae noxarum veniam publice a Deo cum lacrimis precatus eſt, tum vero maxime, quod i genii ac temporis ſibi ab eo conceſſi uſuram haud rectam plenamque feciſſet. Sacris vero rite procuratis, quo gratam erga familiae ſuae nobiles viros teſtaretur voluntatem, pro conceſſa ſibi a *Clemente XII.* transferendi, quas vocant, penſiones facultate, iis aliquas adſignavit. Deinde in ſolum Deum mente & corde tranſlatus ad extremum uſque ſenſibus integer opportuna monita, ac pios in Ieſum Crucifixum adfectus, qui a ſacerdote iugiter ingerebantur, oculorum nutibus avidiſſime excipiens, inter ſuorum preces, & lacrimas brevi ac placido agone mortalitatem explevit, annos natus LXXVIII. & tredecim dies. Diſſecto exploratoque cadavere ſerum aquoſum extra vaſa fuſum in thoracis cavitate obſervatum eſt: pulmonares lobi adeo inter ſe coaleſcentes, ut nulla conſtantis alias diviſionis nota reliqua eſſet: ex inciſa eorum dextera parte liquor aqueus proſiliebat: eiuſmodi ſeri copia etiam inter duram, & piam matrem in capite deprehenſa, hydropis lethalis indicia. Hepar fere indivulſe ſuperiori ex parte diaphragmati cohaerens: pulmones ipſi fere undique coſtis adhaereſcentes: cor ultra naturae modum praegrande: Aorta inſigniter dilatata, eiuſque interior ſuperficies veluti abroſa ac terebrata. Iliacam

cam verſus ſatis amplum aneuriſma atque arteriae ibidem exterior membrana exeſis reliquis ita attenuata, ut facile ex improviſo diſrumpi potuiſſet. Quo univerſae Vrbis moerore mortis eius rumor exceptus ſit facile fuerit coniicere ex iis virtutibus, quibus ille ſibi omnium exiſtimationem & ſtudia devinxerat. Sed omnium uti maximus ita aequiſſimus Fratrum Praedicatorum luctus fuit; qui quantum ſibi ex tanti Cardinalis iactura demtum praeſidii ac ſplendoris intelligentes, calamitatem ſuam vix ullo tempore reparandam prolixe indoluerunt. Altero ab eius obitu die in Minervitano Praedicatorum templo conſuetis ritibus a Sacro Cardinalium Collegio, Pontifice ipſo praeſentia ſua funus cohoneſtante, iuſta illi ſolemnia perſoluta ſunt. Mox, quemadmodum ſupremis tabulis conſtituerat, eius cadaver ad S. *Xyſti*, cuius tituli Cardinalis fuerat, humili componendum loco tranſlatum eſt, ac ſepulcrali lapidi haec ipſe inſcribenda mandavit.

HIC IACET
FR. VINCENTIVS LVDOVICVS GOTTI
BONONIENSIS
ORDINIS PRAEDIC.
S. R. E. HVIVS ECCLESIAE TITVLI
PRESBYTER CARDINALIS
EXSPECTANS CARNIS
RESVRRECTIONEM
VIXIT AN. LXXVIII. DIES XIII.
OBIIT XIV. KAL. OCTOB. MDCCXLII.

Vir fuit ſtatura corporis decenti, oris habitu li-

liberali, ad modeſtiam & gravitatem compoſito, colore ſubpallido ac fere albicante, fronte lata, amplis oculis, acie tranquilla ac verecunda, ſuperiore labro dextrorſum tumidulo, humero dextro paullo prominentiore, ſed citra deformitatem, ut quidquid hoc eſſet vitii vix deprehenderetur. Emicuit in eo perſpicacitas ingenii ſumma, iudicium acre ac ſolidum, ſtudium pertinax, ampla eruditio, rara dicendi ſcribendique facilitas cum eximia doctrina & perſpicuitate coniuncta. Ad mores quod attinet, mitiſſimo fuit ingenio atque facili, humaniſſima indole, ad bene de omnibus merendum prona; moderatus & humilis, prudens & candidus, religioſus ac pius, diſciplinae tenax, Fidei vindex, Religionis adſertor, dignus omnino cuius animi ornamenta & virtutes omnis conſequutura aetas miretur ac celebret, cunctiſque literatis, atque Eccleſiaſticis viris ad imitandum proponat. Graviſſimam tanti viri iacturam ut peracerbam habuit in primis *Fr. Thomas Ripoll* Ordinis Praedicatorum Generalis Magiſter, ita eam Ordini univerſo nunciavit literis moerore plenis.

CA-

CAROLVS MAIELLVS.

Auctore Anonymo.

C*Arolus Maiellus* Neapolitanus in lucem editus XV. Kal. April. MDCLXV. vir fuit noſtra memoria doctrina, & pietate, numeris omnibus abſolutus; ſed eo prae ceteris commendatior, quod ab uſque teneris annis uni potiſſimum rei ſtuduerit, quo pacto poſſet obſcurus deliteſcere; & ſcire ſuum nihil eſſe cenſuit, ſi illud ſciret alter: quo poſito fundamento mirum non eſt, ſi nobiliſſimum virtutum omnium aedificium exſtruxerit. Huius interea clariſſimi viri rerum geſtarum ſchediaſma adumbrare ſatagam; nam vivis coloribus ſuarum virtutum imaginem exprimere doctiori ſtilo relinquo. Parentibus honeſto loco natis ortus eſt, quibus egregiam pueri indolem inſpicientibus primae curae fuit, illum iis artibus impertiri, quibus ad ſapientiae culmen via muniretur, ipſumque ſacris miniſteriis devovendum duxere; vix enim decimum annum attigerat, ſuumque nomen in Eccleſiaſticorum adoleſcentium albo dedicarunt. In Patrum autem Societatis Ieſu Collegio prima doctrinarum rudimenta exhauſit, clariuſque ſemper prae ceteris condiſcipulis exſplendeſcebat; quumque exacto humanarum literarum curriculo vires in Philoſophiae, atque Theologiae ſtudio exploraret, princeps ei locus facili negotio deferebatur. Iam adultus coniunctionem cum doctiſſimo viro *Nicolao Capaſſo* iniit, quos natura ab ingeniorum ſimilitudine antea con-

 glu-

glutinaverat; quocum in repoſtis ab vrbe locis ſecedebat ea invicem conferendo, quae in ſtudioſo pluteo domi conſtruxerant. Non abſimili ratione pietatis operibus animum excoluit ſub ductu, auſpicioque D. *Antonii Torres*, quem Sanctorum faſtis Romana Sedes adſcribere feſtinat; huius ſaluberrima documenta ad amuſſim cuſtodiens ad ſanctitatis metam properabat. Tam eximii ingenii nobilitas quum *Antonio Pignatello* Neapolitanae Eccleſiae Antiſtiti innotuiſſet, ratus ſe magnum operae pretium facturum, ſi in Seminarii Collegium iuvenis ille cooptaretur; ubi egregia indoles perpoliri poſſet; ſive potius Seminarium ipſum ab huius doctrinae elegantia in poſterum delaretur. Hoc autem in loco ea tempeſtate Peripateticae Philoſophiae mercatura fiebat, illiuſque Theologiae, quae in ſcholis venditatur. Suae igitur mentis acumen in hac umbratili diſputationum pugna non ſine ipſius Eminentiſſimi Principis plauſu ſaepius eluxit; his enim adeſſe Cardinalis ampliſſimus non dedignabatur. Verum penitioribus literis, & diſciplinis ſuum animum imbuere non negligebat, quo ſubinde Seminarium ipſum efformaretur. Contigit autem, ut, *Antonio Pignatello* ad Summi Pontificatus apicem evecto, *Iacobus Cantelmus* ſacrum Civitatis Neapolitanae regimen exciperet. Princeps erat, qui humanitate politus eruditionum ſtudiis adprime delectabatur, neque a Scholaſticorum concertationibus ita abhorrebat, ut eas omnino reſpueret; verum a ſacris Patrum fontibus ductam Theologiam ſummo loco habuit. His diſciplinis ſacros miniſtros, praeſertim Semina-

rii

rii adoleſcentes, quos in oculis ferebat; inſtituere ſummopere ardebat. Commodum igitur illi cecidit hoc iuvene Reipublicae literariae bono nato poſſe uti; qui praeter ſpem ſuis votis reſponderet. Ipſum e pluribus exemtum in Seminarii palaeſtra eloquentiae promovendae praefecit; elegans enim ſcribendi genus ſibi comparaverat, quo Romanae facundiae patres fere adaequabat. Verum ut gloriae ſtimulis ipſimet adoleſcentes ad eiuſmodi ſtudia proſequenda concitarentur; nullus ab exteris nationibus, aut magni nominis in literaria Republica; aut ſummo genere natus, Neapolim adventabat; quin Eminentiſſimo *Cantelmo* imperante proſa; ligataque oratione ſub ductu *Caroli Maielli* contexta non commendatus abiret; quarum bona pars typis edenda ſarta tectaque cuſtoditur. Huius exemplo factum eſt, ut Neapolitana iuventus politiorum literarum ſtudio ferveret. Proprio etiam Marte non modo Graecam, ſed Ebraicam illam ſalebroſam linguam edidicit; commiſſos ſuae curae adoleſcentes edocturus. Ad novam autem Philoſophiae ſuboleſcentem rationem, qua potuit dexteritate ſe contulit; tunc enim temporis qui Mathematicis diſciplinis ſtudebat; apud cinctutos Cethegos male audiebat; ſacram Theologiam, vere Patriciam, Sacrorumque Canonum iura profeſſus eſt; quae omnia facultatum genera aureis ſcriptis conſignavit, in quibus Latii ſermonis puritas, ſolidaque doctrina, emicat, atque omnium eruditorum plauſu adhuc excipiuntur; urgentque omnes ut ipſa publicis formis excudantur. *Cantelmo* interea ſcientiarum omnium amantiſſi-

mo naturae legibus decedente ab Domino *Ianuario Auria* Cathedralis Eccleſiae Canonico, defuncti Archiepiſcopi vices gerente, Seminarii Rector declaratur, quum vix trigeſimum quartum ſuae aetatis annum auſpicatus eſſet, quae ſane provincia Neapolitana in urbe apud ſacros miniſtros, ut honoris, ita plena laboris, exiſtimatur; quam ita rite obivit, ut altera Seminarii facies ſplendeſcere viſa ſit. Tantum eſt, ut ille in puppi ſedeat, qui idem mare ambulando eoſdem ſcopulos praetervectus eſt. Ab obitu autem Cardinalis *Cantelmi*, quum *Franciſco Pignatello*, cui Neapolitani Archiepiſcopatus habenae regendae traditae eſſent, adhuc Romae immoranti, *Caroli Maielli* inexhauſti labores, & ſpectatae virtutis nomen conſtitiſſet, ipſum Metropolitanae Eccleſiae Canonicum creat. Quo honore auctus ita Eccleſiaſticis muneribus defungebatur, ut a ſolito ſtudiorum curriculo ne latum quidem ungem diſcederet. Nec pietatis operibus deerat, quum illa omnia emeritus in Chriſtiana militia munia exſequeretur, in quibus in Seminarii Collegio tyrones exercebantur. Solidas etiam horas ante Euchariſticum ciborium precibus fundendis traducebat, atque ante Divi *Ianuarii* Confeſſionem, quem patronum praecipuo cultu venerabatur. Dum ſibi vero & Muſis *Carolus Maiellus* canebat, atque ad traditum ſibi Seminarii hortum excolendum totus erat, iuſſu Eminentiſſimi Cardinalis *Pignatelli*, non ſemel ipſo reluctante, opus illud in lucem edidit, *Religio erga Petri Cathedram ab Anonymi calumniis vindicata*, quod omnium legentium punctum plauſumque tulit, atque in-

in primis *Clementis XI.* Apoſtolicam ſedem gubernantis: ob idque cauſae Romam arceſſit, cuius ingenii opera magnum Eccleſiae oecumenicae emolumentum augurabatur. Non ſine igitur omnium dolore proficiſcitur, quum omnium animos morum ſuavitate ſibi devinxerit; at nulli eius diſceſſus acerbior, quam Seminario, cuius ope ad tantum gloriae provectus erat. Ipſe interim, res ſane digna ſcitu, priuſquam ab urbe pedem efferret, quaecumque remotis arbitris eruditiſſime commentus erat, cuidam in Seminarii aedibus immoranti Sacerdoti, antiquis moribus viro, imperat, ut omnia accenſo rogo concremaret. Non ita certe, qui obedientiae voto ſe adſtringunt, praefectorum dicto audientes ſunt, ut is iuſſa faceſſere viſus eſt: atque ita tot elucubratas noctes, vigiliaſque, ſacer ignis abſumſit. Quamobrem praeter ſacrae Theologiae, ſacrorumque Canonum, & Rhetoricae, ſcripta, ut iam innuimus, ab ipſo auctore adornata, paucae quaedam reliquiae ab illo incendio ſuperſunt, ſedulitate ſuorum alumnorum adſervatae. At poſtquam Romae domicilium fixiſſet ab inito vitae tramite nunquam deflexit, ad ſtudiorum, pietatiſque incrementum adſiduc elaborans. Doctiſſimum opus illud, cui titulus *Apologeticus Chriſtianus*, concinnavit, non tantum ut impactas nomini ſuo calumnias, ſed ut Eccleſiaſtica iura attentata, vindicaret: opus quidem ea Latinitate donatum, ut Apologeticus potius Ciceronianus a literaria Republica, quam Chriſtianus vocaretur; iis vero doctrinae luminibus diſtinctum, ut ſub *Auguſtini* nomine laudaretur. Tunc Eminentiſſi-

mus Cardinalis *Aquaviva* illum admotis ſtimulis increpabat, ut in Hiſpanias ad regiam ſobolem dirigendam commigraret, quum ſibi Catholicus Rex virum probatae virtutis ad id negotii inquirendum munus impoſuiſſet; ipſumque his verbis admonebat, a ſede Romana nil amplius ſe obtenturum praeter pauca quaedam ſacerdotia,& ad ſummum Baſilicae cuiuſdam Canonicatum; at ſi Hiſpanias adiret, iam nunc ſibi primos honores portendebat. Maluit autem in ſtatu illo conquieſcere, quam Regum negotiis ſe immiſcere, atque in aula ſplendeſcere. A *Clemente* autem *XI.* Vaticanae Bibliothecae Praefectura, & Sancti *Petri* Canonicatu, donatur. Verum ad difficillimum quodvis opus abſolvendum huius unius opera utebatur: quaſvis ambages huius doctrina extricare, cum eo demum arcana omnia communicare, non veritus eſt. Hoc igitur pacto robuſtam aetatem conterebat in operioſioribus Romanae Sedis negotiis explicandis. Quae vero ſubſeciva tempora ſupererant ſeveris ſtudiis ſeſe addicebat: humanarum autem literarum diſciplinas, quas omnium temporum eſſe aiebat, animum remiſſurus recoluit: quandoquidem bigam ſtrue librorum onerabat, aut Graeca aut Ebraica lingua compoſitorum, quibus, in ſuburbiis, aut aliquo reducto loco, in ambulando oblectabatur; quem morem a Neapolitana vrbe Romam deduxerat; hos enim comites in veſpertinis ambulationibus perpetuo praeelegerat. *Clemente XI.* e vivis ſublato, *Innocentius XIII.* ad Romanam ſedem promovetur, quem penes ſummo, primoque loco *Carolus Majellus* erat, cui ſi longioris lucis uſura frui liſcuiſ-

euiſſet, in purpurei Senatus coetu tanti viri nomen procul dubio eluxiſſet. At triennio, quo Pontificiam ſedem tenuit, non ſecus ac *Clemens XI.* huius plena prudentiae, & fidelitatis conſilia in graviſſimis rebus expediendis adhibuit. Hunc excepit *Benedictus XIII.* a quo *Carolus Maiellus* Secretarius Brevium ad Principes, & Archiepiſcopus Emiſſenus, renunciatus eſt; quod tamen Secretarii munus ſub *Clementis XI.* & *Innocentii XIII.* Pontificatu reipſa obiverat, quum aurea illa ſcribendi ratio hanc ſibi provinciam ſponte adſeruiſſet. At labor, *Benedicto* Romanam Cathedram regente, in immenſum excrevit, ut plura bene magna Brevium volumina confecta videantur, ea Latini ſermonis elegantia, ut, ſi Superis faventibus typis edantur, primoribus huius linguae Scriptoribus aemula admiret; praeſertim vero Brevia illa ad Gallicos tumultus ſedandos, qui pro nobili Bulla *Vnigenitus* exorti erant, ſumma dexteritate contexta ſunt, verborumque ipſi apices examini ſubacti, ut turbarum omnium fomites extinguerentur; unde enata illa quies *Caroli Maielli* prudentiae debetur, ut ipſimet Galliae Epiſcopi fatebantur. Ab eiuſmodi ſibi dolatis honoribus quum quotannis quatuor millia ſcutatorum colligeret, paucis ad vitam modeſte ſubſtentandam demtis, reliqua omnia pauperibus abunde erogabat. In Tranſtiberina regione ad Collegium erigendum, quod a viris piis operibus addictis nomen ſortitur, ingentem pecuniae vim contulit. Quum vero Emiſſeni Archiepiſcopi titulo inſigniretur, ut Eccleſiae ſibi deſponſae qua poſſet ratione ſuppetias iret, duos Apoſtolicos viros ſuis impenſis illic

 ale-

alebat, ut ſacris miſſionibus per inculta loca illa divini verbi ſemina diſpergerent. Illuſtres vero familias praetereo, quibus anguſta domeſtica res erat, ſuo ſumtu ſubſtentatas. Neque illud ſilentio involvendum, quantum ad Romanum Seminarium, *Sancti Petri* nomine dictum, excolendum adlaborarit, ad cuius aedificium laxandum, & meliori forma interpolandum, *Benedictum XIII.* impulit, ut plures alumnos capiendi ſpatium aperiretur: & iam in praeſenti non in poſtremis e Romae erectis Seminariis habetur, a quo non pauci Eccleſiae miniſtri doctrina praeſtantes prodiere. Tandem *Clemente XII.* Pontificatum auſpicante tantum ſibi nominis eximia *Caroli Maielli* virtus collegerat, ut ipſe Cardinalium Senatus ſponte ſua Pontificem flagitaret, ut talem virum de Sede Romana optime meritum purpura decoraret, atque vix aliquis e Cardinalium numero vitam naturae reddebat, quin Pontificem expoſtularent, ut in eius locum *Carolus* ſufficeretur. Ipſe interea tantum abeſt ut purpuram cogitaret, ut ſtatam pauperibus ſtipem, ſtatumque vivendi tenorem, pacato animo proſequeretur: neque umquam verbum ex eius ore exiiſſe conſtat, quo, ſuorum laborum ratio aliqua haberetur, expoſceret; neque quod fieri ſolet per cuniculos adrepere ſtuduit, quandoquidem illa animi ſinceritas ſui in omnibus vitae geſtis perpetuo emicabat. Sed iam a laborum adſiduitate attritae corporis vires conſenuerant; hinc ſaepius variis morborum generibus urgeri coepit, donec in unum incidit, ex quo nunquam convaluit. Subita enim quaedam morbi percuſſio illum adeo adflixit, ut & corpus amit-

amitteret, & vivida illa ingenii acies hebeſceret. Hinc quinque luſtris exactis, ex quo Romam profectus erat, iterum patriam ſuam reviſit, ſi perditae valetudini aliquo pacto occurreret; lethargicum enim torporem Pythecuſarum balneis excuti poſſe rebantur, Sed neque illa, neque quaevis medicaminum genera e quovis narthecio depromta, aliquid profecerunt. Hac ſane in longa corporis infirmitate tanta in ipſo patientiae virtus enituit, ut non imitandam omnes admiraremur. Verba illa ſaepe uſurpabat: *Iuſtus es, Domine, & rectum iudicium tuum*: aut illud *Auguſtini*: *Hic ure, hic ſeca, modo in aeternum parcas*. Aetatis igitur ſuae fere ſeptuageſimo anno Vulgaris Aerae MDCCXXXVIII. vitam immortalitate commutavit. Tacite demum praetereunda non eſt pietas illa, qua Deiparam Virginem ad ſupremum uſque ſpiritum proſequutus eſt. Huius potentiſſimae Tutelaris fidei ab infantia ſe ſe commiſerat; ut vero ab ipſa acceptis beneficiis, qua poſſet ratione, reſponderet, ſingulis diebus in illius laudem epigramma aliquod contexebat, vel Latine, vel Etruſco ſermone, adornatum; neque negotiorum molimina retardarunt, ne tale obſequium Parenti ſuae amantiſſimae praeſtaret. Quum vero adfecta valetudine langueſceret, ab aliis pietatis operibus remitti viſus eſt, haudquaquam vero, donec anima ſpiravit, ab eiuſmodi cultu Deiparae Virgini reddendo. Duos ſaltem verſiculos, antequam cubitum diſcederet, pietatem ſpirantes, excudebat, qui a fratris filio *Dominico Maiello*, per magni Patrui veſtigia ad pietatis, doctrinaeque,

iter

iter tendente, adſervantur, atque nonnulla maioris momenti inedita opera, ut illud de generibus martyriorum, aliaque, quae ob inſitum natura deliteſcendi ſtudium publicae luci *Carolus Maiellus* dare refugiebat. Extremo etiam hoc morbo laborans, quum vires aliquo pacto ſubficerent, ſacris operari non praetermiſit; at cum facere non liceret, Angelico Euchariſtico cibo quotidie depaſtus eſt. Canonici Neapolitani, de cuius Capitulo optime meritus erat, ſuprema officia perſolverunt, quamquam ipſis ex eorum ſtatutis nullius, ſi Canonicos ſocios excipias, etiam illuſtris nobilitatis, funus comitari licitum ſit. Corpus Neapoli in Sanctae *Reſtitutae* Baſilica conditum eſt, in S. *Aſperni* aedicula, in qua marmoream aram affabre conſtructam ſuis impenſis erigi curavit Canonicus *Ianuarius Maiellus*, *Caroli* germanus, alterum Neapolitanae Eccleſiae lumen, cuius in primis honorum gradibus, & quum Capitularis Vicarii, & quum Generalis munus obiit, prudentiam, doctrinam, pietatemque, Neapolitana civitas ſubſpexit. Et Canonicus *Alex. Symmachus Mazochius* Capituli Neap. & Regiae Academiae lumen, atque editis libris clariſſimus, amico de ſuis litteris benemerentiſſimo hunc titulum in eadem aedicula adpoſuit. *Carolus Maiellus, Neapolitanus olim Canonicus, deque hoc Capitulo optime meritus, quantus a puero pietate & litteris fuerit, Seminarum hoc eius ope ad tantam gloriam provectum declarat. Nihil certe in abſtruſioribus diſciplinis & linguis arduum fuit, quod non vi ingenii & labore pervicerit. Vltro Romam a Clemente XI. evocatus, & cum Bibliothecae Vaticanae Praefectura, tum Canonicatu*

S.

S. Petri donatus, poſtremo a Benedicto XIII. Secretarius ad Principes & Archiep. Emiſſenus creatus fuit, in quibus muneribus praeter auream eloquentiam & Latini ſermonis nativam elegantiam, quum virtutibus omnibus ad miraculum eniteret, nullum in aula Rom. maioris molimmis negotium fuit, quod non eius opera feliciter ceſſerit. Omnium opinione Cardinalatu digniſſimus Neapoli obiit III. Kal. Ianuarias, ann. MDCCXXXVIII. In hac Baſilica tumulatus; vixit annos LXIX. menſes IX. dies XI. Hanc *Maielli* domum, inexhauſto caeleſtium bonorum flumine D. O. M. irrigavit. ſex enim mares enumerantur, quorum quinque militiae ſacrae nomen profeſſi: duo adhuc ſuperſtites *Ianuarius Maiellus*, & *Ioannes* in alma Sancti *Dominici* familia S. Th. Magiſter. Duae e muliebri ſexu monialium in clauſtro ſe Deo devoverunt. Ex *Auguſtino* autem probatiſſimo viro, qui ſe coniugii legibus obſtrinxerat, *Dominicus Maiellus* prodiit, qui in Sacerdotum album relatus, vires, corpuſque, in pietatis operibus & ſcientiarum adeptione iam amiſſum, funditus perdere non deſinit. Quo ſane e vivis poſt longam annorum ſeriem diſcedente haec *Maielli* familia deficiet, at virtutum nomen, & bene actorum memoria, vivet ad omnem ſequuturorum temporum aeternitatem.

Eius opera edita ſunt.

Religio erga Petri Cathedram ab Anonymi calumniis vindicata in 4.

Apologeticus Chriſtianus, quo Anonymi conviciatoris error veritate, livor caritate, diſpellitur. Tomi duo in 4.

Con-

Coniuratio Neapoli inita atque extincta ann. 1701. Pariſiis 1702.

Oratio in funere Eminentiſſimi Card. de Tournon. Romae.

Oratio in laudem P. M. Innocentii XII. in calce Synodi Neapolitanae edita.

Oratio pro recuperata ſalute Caroli II. Hiſpaniarum Regis.

Oratio Etruſco ſermone habita in Sanctificatione Sanctorum Pii V. PP. Andreae Avellini, Felicis Capuccini, & Catharinae de Cortona.

Varia carminum genera Ebraeo, Graeco, Latino, atque Etruſco, ſermone edita.

Opera inedita.

Plura Brevium volumina ad viros principes.

Commentarii perennes in SS. Martyrum acta.

Diſſertatio de Epiſcoporum Catalogorum auctoritate.

Tractatus omnes ad uſum Neapolitani Seminarii, cum qui ad Dogmaticam, tum qui ad Scholaſticam Theologiam pertinent.

In quatuor Canonicarum Inſtitut. libros Commentarii.

In quatuor Civilium Inſtitut. libros Commentari.

Rhetoricae Inſtitutiones.

Poeticae Inſtitutiones.

Oratio in adventu Neapolim Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Pignatelli Archiepiſcopi.

Variae Conciones ſacrae.

Carmina bene multa Ebraeo, Graeco, Latino, atque Etruſco, ſermone concinnata.

FRAN-

FRANCISCVS LEMENIVS.

Lodovico Antonio Muratorio Auctore.

Ioanne Lamio Interprete.

FRanciſcus Lemenius Laude Pompeia, anno MDCXXXIV, die XIX. Februarii natus eſt. Eius familia inter antiquas, & nobiles illius urbis cenſetur. Nam quod ad antiquitatem attinet, ab ipſa Laudis Pompeiae inſtauratione, quae ſub *Friderico Ahenobarbo* Auguſto contigit, illius memoria repetitur; quod vero ad nobilitatem ſpectat, *Franciſci* maiores illos honores in patria omni tempore geſſerunt, quos ſolos nobiles gerere ius, faſque eſt. Eius avus Collegio Iudicum adſcriptus erat, qui quidem conſpicuus honor etiam *Antonio* patri, rarae prudentiae viro, deinde delatus eſt. Aequalem a genere materno nobilitatem traxit; ſiquidem *Apollonia* eius mater, proba & pientiſſima femina, gentis *Garatae* noviſſima fuit, genus ducens a celebri illo Iureconſulto *Martino Garato*, qui *Martini Laudenſis* nomine a Iureconſultorum filiis laudatur. Studia *Franciſcus*, ſub *Franciſco Bovio* literatore, in patria auſpicatus eſt. *Ioannem Baptiſtam Scopam* quoque, e Somaſcorum familia hominem, alicuius inter Italos ſuae aetatis poetas nominis, ut eius poemata poſtuma nuper in vulgus prodita teſtantur, audivit. Ab Ieſuitis pariter Novariae humaniores litteras didicit. Poſtquam in patria Barnabitarum ſcholas frequentans Philo-

ſo-

ſophiae operam navavit, Theologicis ſtudiis ſe dedidit, Clero olim fortaſſis nomen dare animo volutans; & rerum divinarum ſcientiam *Valentino Trezza*, ex Minimorum ordine cucullato, docente comprehendit. Verum, ut ſuis domeſticis morem gereret, ad Iurisprudentiam animum adplicuit, eique diligenter, accurateque ſtuduit, cum Bononiae, tum Ticini, aliquot annos verſatus; & in hac urbe poſtetius memorata magiſterii inſignibus decoratus eſt paulo poſt, quam eam *Franciſcus* I. Regulus Mutinenſis obſidione obpugnaſſet. In patriam reverſus, ſuaviſſimis moribus, & felicis ingenii praeſtantia, popularium ſuorum amorem & benevolentiam cito promeruit; quamobrem *Antonio* genitore vita defuncto, Decurionis titulo auctus eſt. Non multo poſt, quum *Philippo IV.* Hiſpaniarum Regi iuſta publice riteque perſolvenda eſſent, *Lemenius* illum oratione Latina laudavit, magnumque & pium fuiſſe, graviter, & copioſe demonſtravit. Alia munera aeque honorifica Laudenſis civitas ei deinde contulit; miſitque oratorem ad *Margaritam Auſtriacam* Auguſtam, quam in Finali Liguſtico adlocutus eſt. Illuc pariter alias contendit, ut advenientibus novis Inſubriae praeſidibus, ſuae civitatis nomine, obſequium & reverentiam profiteretur. Sed illud eſt exiſtimationis, qua apud ſuos cives cenſebatur, indicium maximum, quod cum oratorem Mediolanum ablegaverint, ut in ea urbe, rem populi ſui cum praeſidibus, ſupremiſque magiſtratibus, opportune tractaturus reſideret. Miniſterio tam conſpicuo fungens *Lemenius* facile ſibi ad primarias Mediolanenſis provinciae dignitates viam ſtraviſſet, ſi magis am-

ambitionis ſtimulis actus, quam Philoſophiae amore captus fuiſſet. *Carolus Maria Maggius* mihi adfirmabat, alium neminem prae illo inter Mediolanenſes Senatores cooptari facilius potuiſſe, non habita tantum meritorum & vitae ratione, quantum promovente ſingulari benevolentia, qua eum principes magiſtratus, & celeber Comes *Bartholemeus Ariſius*, Senatus Mediolanenſis praeſes in primis, proſequebantur. At ille, tamquam fortunam proſperiorem timeret, utpote quietis tranquillae amantiſſimus, ne ſplendidas quidem illas dignitates, quarum perpetua ſervitus praemium eſt, ſibique hominem abripientes aliis totum mancipant, deſideravit. Et re vera, paucis annis elapſis, oratoris munus amplius obire invitis popularibus renuit, eadem animi aequitate, qua alias in Atheneo Ticinenſi cathedram, a laudato *Bartholomeo Ariſio* ſibi oblatam, recuſaverat. Eodem animi impetu honores ac dignitates ille fugiebat, quo alios iis inhiare quotidie videmus. Cardinalis *Vidonius* Laudis Pompeiae Epiſcopus & *Lementi* amiciſſimus, ſe ei Epiſcopatum illum ceſſurum pollicitus eſt, at fruſtra; nam is, ut huiuſmodi praemia & honores iure optimo meruit, ita ab iis accipiendis in omni vita conſtanter abhorruit. Vnam tantum voluptatem cepit, & praecipue quum adhuc iuventae annis vernaret, ex peregrinationibus; ideo saepius Genuam, ſemel Venetias & Neapolim, bis Romam, ſe contulit. Quum vero iterum ad Vrbem profectus eſt, Cardinalem *Vidonium* illuc deduxit, & aliquantum in ea moratus eſt, nequicquam tamen, cum prima tum ſecunda vice, amici patronique conati ſunt monitis & conſiliis

eum ibi detinere, ut ſecundae fortunae velificaretur. Ad paternam quietem regreſſus reliquum vitae tempus literis, & virtutum exercitamentis, inſumſit. In varias ille doctrinas, & artes, & potiſſimum in Philoſophiam, in Iuriſprudentiam, Geometriam, Aſtrologiam, & Theologiam, incubuerat; ſed iis omnibus prope neglectis Latinam, Italicamque poeſim antetulit. Multa carmina nitida, & elegantia, dum viveret, Latine deduxit, pauca vulgavit. A teneris annis Italicas Muſas excoluit, & iam duodennis eos verſus noſtro idiomate modulatus eſt, qui ſua venuſtate conſuetas illius aetatis vires excederent. Quos, & quantos, ſuae Italicae poeſeos fructus in tempore ediderit, & opera eius publici iuris facta, & communis, quo excepta ſunt, plauſus, abunde luculenterque teſtantur. Illum re vera poetam natura formaverat, ſtudium vero numeris omnibus abſolverat mirabiliter. Praeter felicis ingenii dotem, vim animae vividam, & creatricem imaginum foecundiſſimam, omnes in eo mirabantur; quas quidem deinceps ita poeticis coloribus diſtinctas ornabat, tantaque facilitate, & perſpicuitate exponebat, ut indocti non minus quam docti iis maximo opere delectarentur. Principio quidem, quum fervor in eo iuvenilis aeſtuabat, illuſtria *Ioannis Baptiſtae Marinii* vitia in carminibus aemulatus eſt. Aſt ubi aetas procedendo deferbuit, iis omnibus ſe purgavit. *Anacreontis* lectione vehementer captus eſt, & Lyricum praeſtantiſſimum laudabiliter imitatus; quare in variis ſuis poematis, & praecipue in Bucolicis, eius ſtilum venuſte & eleganter

ex-

expreſſit . At non humi ita repſit, ut non ſe ad coelum uſque ſubſtulerit, & ſtili ſublimis granditate Deum, eiuſque virtutes, celebraverit; & Principum magnorumque virorum res praeclare geſtas cecinerit. Verum ſaepe a tanta ſublimitate delapſus ad feſtivos, atque facetos, & ludicri generis, verſus ſe convertit; quibus laudem quidem, & plauſum, pariter quaeſiviſſet, ſi eos publici iuris fieri paſſus eſſet. Tantum impedire non potuit ne lepidum poemation, quod *Macaronea* inſcribitur, ex parte ſaltem in vulgus proderetur; quod quidem elegantiis, & veneribus ſcatet, licet ab eo tralatitie compoſitum, & magis fuſum, quam ſcriptum, fuiſſet. Quamquam vero in *Lemenio* gravitas ſemper, & ubique, ſubſpiceretur; tamen illud habuit cum reliquis poetis commune, ut, dum iuventus caleſceret, carmina diverſa amatorie deduceret, in quibus tamen honeſtas perpetuo decens interniteret. Huius autem licentiae *Lemenius* poſtea poenituit, quum vir iam factus gravi morbo detineretur & vita periclitaretur; tunc enim ſeſe incuſans eiuſmodi carmina deteſtatus eſt, & ne qua illorum ſupereſſet memoria, cucullato, qui ei a confeſſionibus fuit, omnia igni tradere iuſſit; quod quidem adeo praecipiti, & imprudenti diligentia exſequutus ille eſt, ut non amatoria tantum poemata, ſed caſtiſſimi etiam argumenti multa, edaci flamma conſumta fuerint, veluti *Decimae Hiſpanae*, *Cantiones Gallicae*, *Ogdoades Siculae*, & Diſſertationes Academicae plurimae, & alia id genus non pauca. Hoc a *Lemenio* coelo factum holocauſtum, & aliarum eius lo-

lucubrationum infortunium, a *Thoma Ceva* Ieſuita perelcganti Latino idyllio deſcripta fuerunt. Poſt lucubrationum illarum incendium, ſalute recepta, ut gratum animum *Franciſcus* Deo vitae conſervatori exhiberet, carmina, & hymnos de Deo, iuxta D. *Thomae Aquinatis* placita, componere adgreſſus eſt, argumentis proſa oratione cuilibet praefixis, & figuris apte ornateque adpoſitis, cuncta ingenioſe declarans. Familiares eius teſtantur, cum in huiuſmodi ſublimium rerum contemplatione defixum, adeo a ſenſibus alienatum, totumque in ſe coactum viſum eſſe, ut nec videret, nec audiret, adſtantes. Inſuper ſuis amicis ipſe referebat, ſaepe a ſomno evigilaſſe verſus dicentem, quos ipſe prius meditatus non fuerat, quoſque ſuis locis deinde in eo opere opportune conlocavit. Hoc quidem opus, luce oppido digniſſimum, haud facile paruiſſet, adeo nominis carminumque ſuorum celebritati homo obſiſtebat, niſi falſo eius mortis rumore Romae percrebreſcente, Princeps *Livius Odeſcalchius*, cuius patruus *Innocentius XI.* Pontifex Maximus erat, de ea dolens a Praeſule *Franciſco Porta* verum intelligere voluiſſet. Italicum enim Epigramma, quod ipſius Principis honori concinnaverat, *Lemenius* tunc ei miſit, & hoc receptae ſalutis argumentum certiſſimum fuit, & acriores ſtimulos Principi addidit, ut *Lemenium* alia carmina poſceret; cuius deſide io ut faceret ſatis, haec Theologica miſit, quando alia tunc temporis non habebat. Hinc ſenſit *Lemenius* ſe coactum edere an. 1684. Mediolani poeticum opuſculum, quod *Deus* inſcribitur, & illud dedicare eidem Pontifici Maximo *Innocentio*, qui pergratum

mu-

munus lubenter excepit. Magno item eruditorum plauſu haec carmina excepta fuerunt, ob facilitatem venuſtatemque mirabilem, quae in argumento difficillimo paſſim elucebat; adeo ut pluries brevi tempore cum Mediolani, tum Bononiae, Venetiis, & Parmae, edita fuerint. Magna haec exiſtimatio, quam *Lemenius* ob hunc ſui ingenii foetum collegerat, gravem moleſtiam ei peperit. Nam, quum omnes alii argumenti carmina, quae ab eo in omni materia tractanda feliciſſimo compoſita fuiſſe ſciebant, habere, & legere vehementer deſiderarent; typographus imprudens ac temerarius, eo inſcio, multa eiuſmodi publicavit. *Deum* igitur, *Macaronea*, amatoria, & faceta carmina, quae *Lemenius* adhuc iuvenis ſcripſerat, & lucubrationes etiam quaſdam aut non ſuas, aut ab eo abdicatas, quod non ſatis honeſtas caſtaſque reputaret, utpote Bacchanaliorum perſonatis choris ſcriptas, uno eodemque volumine concluſit, atque edidit. Huiuſmodi factum *Franciſcus* indignans editionem tempeſtive ſubprimendam curavit; typographo vero iure ac merito puniendo, tanta hominis lenitas & manſuetudo fuit, facile pepercit. Verum, quum huius facti fama late pervaſiſſet, ſitim huiuſmodi carminum poſſidendi ardentiorem in populis excitavit, quam ut extingueret, vel minueret, alia pro reprobatis illis carmina formis deſcripta publici iuris fieri non detrectavit. Poſt de Deo hymnos, alia opuſcula *Lemenius* lucubravit, & drammatica quidem nonnulla, quae *Oratoria* vulgo vocant, ut *Sanctae Caeciliae* pro Duce Mantuano; *Iacobi ad fontem*, pro Cardinali *Petro Ottobonio*, Procancellario S. Romanae

Eccleſiae; *Sancti Ioſephi animam agentis*; *Saeculi triumphantis*, aliaque pro feſto & Eccleſia Sancti *Philippi Nerii*. Praeterea compoſuit, quam *Serenatam* vocant, *ad antrum Bethlemiticum*, cantatam in Palatio Apoſtolico in pervigilio Natalis Domini; & *Nympham Apollinem* idylium Romae actum; & *Endimionem*, idylium alterum, prius Laude Pompeia, & deinde in aliis urbibus, editum. At quum hoc poſtremum dramma, a quodam audaci idiota in uſum theatri Taurinenſis interpolatum fuiſſet, *Ioannes Antonius Mediobarbus*, Somaſcae familiae presbyter, eius Apologiam compoſuit, quae typis Auguſtae Taurinorum excuſa fuit. Sed antequam haec opera *Lemenius* ſcriberet, alia *Oratoria* lucubratus fuerat, hoc eſt, *Cor & caritatem* pro Sancto *Philippo Nerio*; *Praemium* & *Poenam* pro Beata *Panacea*; *Sacrum Arionem* pro Sancto *Antonio* Patavino; & multas cantiones & dialogos pro ſextis feriis Martii: & dramma *Narciſſum* inſcriptum actum Laude Pompeia, & Vindobonae etiam anno MDCLXXXXIX. non ſine eruditorum hominum plauſu exceptum. Omnium eius operum noviſſimum *Roſarium* fuit, Italicorum poematum venuſtiſſimum, quod *Eleonorae* Auſtriacae, iam Poloniae Reginae, deinde Lotharingiae Duciſſae, non ſine eius adprobationis praemio dedicavit. Tot ac tanta opuſcula *Lemenio* apud omnes literatos homines exiſtimationem incredibilem conciliarunt, & eius nomen etiam extra Italiae clauſtra notum, celebreque, effecerunt. Hinc multi e re ſua eſſe duxerunt eius amicitiam ambire, multique etiam in variis libris de eo mentionem perhonorificam fecerunt, quos inter

po-

potiſſimum *Thomas Ceva* in poemate, quod *Puer Ieſus* inſcribitur, & alibi; *Carolus Maria Maggius* in ſuis carminibus; *Franciſcus Redius* in ſuo Dithyrambo; *Ioannes Maria Creſcimbenius* in Hiſtoria vulgaris Poeſeos, & alibi; *Filibertus Villanius* in poemate de Laude Pompeia inſtaurata, nondum publici iuris facto; & *Ludovicus Antonius Muratorius* in Vita *Maggii* memorati, & in primo, & ſecundo volumine perfectae Poeſeos Italicae. Quum Ieſuita *Brignolius* ſacra quaedam *Lemenii* adhuc iuvenis carmina legiſſet, ei ſcripſit epiſtolam, quae panegyrici inſtar eſt; nec minoris momenti fuit alia, quam ad eum celeber *Paullus Segnerius*, pariter Ieſuita, quum elegantiſſimam oden, in Roſarii calce vulgatam, vidiſſet, dedit. Eruditi coetus Italiae in ſuum album egregium hunc poetam certatim retulerunt, ut *Recuperati* Patavini; *Laborioſi* Mediolanenſes; *Accenſi* Bononienſes; *Concordes* Ravennates; *Affidati* Ticinenſes; *Inſenſati* Peruſini; *Arcades* Romani, inter quos *Aretii Gateatis* nomen adſumſit. Aliis quoque coetibus probabiliter adſcriptus fuit, quorum notitia ad me non pervenit. At non minus quam eruditi, Principes etiam, quanti *Lemenium* facerent, praeclaris argumentis demonſtraverunt. Inter eos vero eminuit *Chriſtina* Svecorum Regina, quae ſaepius ad eum ſcripſit literas humaniſſimas, & gratiſſimum habuit *Bacchanale*, quod ea poſcente lucubraverat; quemadmodum *Eliatae* dramma, cui, quando editum eſt, ſcenae quaedam detractae ſunt, quas, ut tantam Reginam laudaret, intruſerat. Magna benevolentiae, & exiſtimationis indicia ei etiam praebue-

runt *Eleonora Auguſta* vidua, & *Eleonora* Auſtria-ca iam Poloniae Regina, cuius ſuperius memi-nimus. Huius maritus alter *Carolus V.* Lotha-ringiae Dux, quum pluribus carminibus a *Le-menio* commendatus fuiſſet, epiſtolas ad eum dedit incredibilem benevolentiam praeſeferentes. Patrocinio praecipue gaviſus eſt Cardinalis *Decii Azolini*, ac deinde Cardinalium etiam *Benedicti Pamphilii*, & *Petri Ottobonii*, utpote qui & poeſim amabant, & ipſi egregii poetae erant; & aliorum Cardinalium, & Praeſulum. A Car-dinali *Franciſco Maria Mediceo*, a Principe *Ioanne Gaſtone*, & ab ipſo *Coſmo III.* Magno Duce, & literas humanitatis plenas, & munera, accepit. Eodem loco fuit apud *Franciſcum II.* Mutinae Ducem, *Franciſcum I.* Ducem Parmae, & Principem *Antonium* eius fratrem. Amplioribus vero beneficiis eum cumulavit *Ferdinandus Carolus* Mantuae Dux, qui non con-tentus crebris muneribus eum donaviſſe, ultro *Comitem* decoroſo diplomate dato renunciavit, quem titulum etiam in *Antonium* eius fratris filium poſteroſque traduci voluit. Dum in tantae gloriae, & celebritatis, non tamen expetitae, ſed ſuae doctrinae fructus, apice *Lemenius* tranquil-liſſimam vitam agitabat, provecta aetas, & morbi quidam chronici in cauſſa fuerunt, cur ſtudiis & Muſis vale diceret, & futurae vitae negocia unice tractaret. Atrophia ſenſim deficiebat, & illud mortis genus adpropinquare ſentiebat, quod ſaepe ſibi vaticinatus fuerat. Coactus tamdem in lecto decumbere ex duorum tantum dierum febricula iam in extremis vitae ſuae momentis ſe verſari cognovit, & Eccleſiae myſteria ac

ſpi-

ſpiritale viaticum, religioſe petiit, et rite ac reverenter accepit. Hiſce Chriſtianae pietatis exemplis, *Ieſum*, & *Mariam* invocans, quemadmodum in ode ad Deiparam in *Roſarii* calce edita deſideraverat, vitam morte commutavit an. MDCCIV. aetatis ſuae LXXI. *Franciſcus Lemenius* natura, & educatione, in pietatem proclivis fuit: quare eius mores, & actus, honeſtum hominem, & honoratum civem, ſemper prae ſe tulerunt. In piis operibus fervidus, pauperibus largus, continentiſſimus, manſuetus, omnium quotquot eum cognoſcebant amorem promeruit. In conſuetudinibus adfabilis, & ſupra modum feſtivus, tot elegantias, & facetias, & iocos amabiles, efferebat, ut horum deſcriptio nonniſi magno volumine comprehenderetur. At non primore adſpectu eius indoles deprehendi poterat; probatis enim tantum hominibus, & in amicitiam adlectis, & lepidiſſimum ingenium, & animum ſinceriſſimum, aperiebat. Opinione, quam de ſe habuit, operibus, verbis modeſtiſſimus, haud laudes inhiabat, & laudantibus parciter, ac verecunde reſpondebat. Statura fuit vulgari, corpore ſaginato, oculis minus vividis, capillis promiſſis; etſi vero inceſſu gravi eſſet, non tamen proclive erat ſtatim intelligere, eo corpore adeo pulcrum animum, adeoque praeſtans atque elegans ingenium, includi. Duos habuit fratres natu maiores, quorum unus *Alfonſus*, magnae pietatis & prudentiae homo, & in religioſas patriae domos beneficus, uxorem duxit, & liberos ſubſtulit; alter *Aloyſius* magno ingenio praeditus, & orator eximius, Congregationi Somaſcae nomen dedit, eique ſupremus

Praefectus praefuit. A cunctis, ſed a ſuis popularibus potiſſimum, eius mors defleta eſt; cumque in Sancti *Franciſci* tumulatus fuiſſet, iuſſit patria, ut publico ſumtu marmoreum monumentum literis aureis inſcriptum iuxta ſepulchrum erigeretur, in quo haec leguntur.

PVBLICO DECRETO LAVDENSIVM
MONVMENTVM HOC POSITVM
POETAE ILLI CELEBERRIMO
ORDINIS PATRICII
FRANCISCO DE LEMENE
HAEC CIVITAS ILLI PATRIA EST
HEIC TVMVLVS HEIC CINIS
OBIIT IX. KAL. AVG. MDCCIV.
VIX. AN. LXX.

unaque cum hoc monumento voluit, ut & marmoreum toreuma eius effigiem exhibens adponeretur. Sodales etiam Sanctae Crucis, quorum per XL. annorum ſpatium patronus beneficus fuit, rite eius manibus parentarunt, & *Antonius Panigatus Somaſcus*, Epiſcopo, & primario civium ordine, praeſentibus, orationem funebrem dixit. *Filibertus* autem *Villanius* Laudenſis, *Lemenii* amiciſſimus, Italico poemate eius laudes perſequutus eſt, quod *Fides grata* inſcriptum anno MDCCVI. typis excuſum in vulgus prodidit.

MAR-

MARCUS BATTAGLINUS

Iano Planco, Auctore

M*Arcus Battaglinus*, Nucericae primum, Caeſenae deinde, Epiſcopus, natus eſt ante diem VIII. Kal. Aprilias anno MDCXLV. in Mauriano, Ariminenſis provinciae, ſeu dioeceſis, in Gallia Ciſalpina, oppido. Patrem habuit *Andream*, qui ſedem in Mauriano illo oppido conlocarat, quod patruus eius *Chriſtophorus* Flamen perpetuus divi *Mauri* illic eſſet. Ceterum originem ducebat a *Battaglina* nobiliſſima Arimini gente, cuius modo tres aliae exſtant familiae, ſed longe plures maiorum noſtrorum temporibus exſtiterunt, praeſertim quando inviſtiſſima *Malateſtarum* domus Ariminenſi Reipublicae praeerat, quibus *Battaglini* omnes ſemper fuerant addicti, *Marci* vero, ſeu *Andreae* noſtri familia iis *Malateſtis* ſe addixit, qui Roncofrigido, & Iani Monti in ditione Ariminenſi imperabant; quique etiam exactis ab urbe Arimino *Malateſtis* diu in oppidis illis uſque ad eorum ſtirpis interitum regnarunt, cauſſaeque fuerant, ut *Battaglina* haec *Marci* familia extra Ariminum, apud eos maneret; cuius familiae unus, qui *Antonius* vocabatur, qui frater erat Flaminis illius, propatruus alter *Marci* noſtri, praedem ſe praeſtitit, ut *Iacobum Malateſtam* Roncofrigidi, & Montis Iani regulum redimeret, qui in bello Cyprio anno MDLXIX. Turcarum captivus factus fuerat. Haec de *Battaglina* hac familia dico in eos, qui

 ca-

calumnioſe contendebant plebeiam eſſe, & a patricia diverſam; ſed ſpondere qui poteſt pro Principe ſuo, & praedem vademve, ut eum redimat, ſe exhibere, hic non infimam habet nobilitatis notam. Praeterea alia praeclara exſtant nobilitatis huius familiae teſtimonia, quae heic non vacat referre, praeſertim quum apud me receptum illud ſit Aquinatis Poetae dictum: *Nobilitas ſola eſt atque unica virtus*. Mater *Marci*, & uxor *Andreae*, fuit *Magdalena Sartonia*, ſoror *Franciſci Sartonii*, inſignis ea tempeſtate Medici, cuius familia inter patricias Arimini adſcripta eſt. *Marcum* propatruus Flamen docuit in minoribus ſtudiis, & ad optimos mores inſtituit, uſque ad decimumquintum annum; deinde Caeſenam eum miſit, ut Philoſophiae, Theologiae, & Iuris prudentiae, operam daret; quibus ſtudiis per quinquennium operam egregie illeic navavit, ut tamdem ibi aetate XX. annorum Togam, ſeu Lauream in utroque Iure, Pontificio nempe, & Caeſareo, ſumeret. Conſilio & favore *Caſparis Carpineae* Ariminenſis patricii, qui poſtea fuit Cardinalis, & qui tunc unus ex Collegio Iudicum Romanae Curiae erat, quos *Auditores Rotae* vocant, *Marcus* Romam ſe contulit, ubi totus forenſi ſtudio ſe mancipavit, ut poſt non multos annos *Euſebii* Adiutor ſtudiorum eſſet, qui Conſiſtorialis erat, & pauperum Romae Patronus. Duobus annis apud *Euſebium* moratus eſt, deinde favore *Nicolai Comitis*, Cardinalis & Anconae Epiſcopi, qui *Marci* ingenium optime noverat, dum *Comes* Romanus Praetor eſſet, factus eſt Propraetor, ſeu Iudex in cauſſis civilibns Anco-

conae, qui Iudex *Locumtenens* vocatur. Per quinquennium *Marcus* Anconae moratus eſt, quo exacto Praeturam variorum oppidorum, & vrbium Pontificiae ditionis geſſit. Centi fuit primum Praetor, deinde Cymacli, Montis Sancti Ioannis, Aſſiſii, Interamnae, Narniae, & tandem Fabriani, quo in loco, quum Fabrianenſes eum ut Praetorem recuſarent, quod Praeſul non eſſet, *Innocentius XI.* P. M. Praeſulem Domeſticum litteris publice datis declaravit, & anno MDCLXXXIX. ut Archiepiſcopus Epidauri, ſeu Raguſae, eſſe vellet, invitavit. At *Marcus* Pontifici gratias egit, eumque oravit ſinceret eum in Fabrianenſi praetura manere. Idem *Innocentius* deſignavit deinde *Battaglinum* noſtrum Nuceriae in Vmbria Epiſcopum, quod munus ipſe non recuſavit, ſed niſi ab *Alexandro VIII. Innocentii* ſucceſſore, oppidi illius Epiſcopus ipſe non fuit conſecratus, anno ſcilicet MDCXC. quod per ea tempora *Innocentius* fato functus eſſet. *Marcus* dum Propraetoris, vel Praetoris munere in variis vrbibus ditionis Pontificiae, ut vidimus, fungeretur, non ſolum legum ſtudio civilem ſcientiam, quam Politicam dixerunt Graeci, conjunxit, & cum ea ſcientiarum reginam moralem Philoſophiam, quae non immerito a *Tullio* dux vitae fuit appellata. In rebus politicis *Cornelium Tacitum* praeſertim ſequutus eſt, ut mos erat illius temporis, & in morali Philoſophia *L. Annaeum Senecam*. *Tacitum* ita admirabatur, concisaſque eius ſententias, & dicta ſemper in ore habebat, ut pro magno *Taciti* ſectatore per ea tempora ſit habitus. Id oſtendit an-

nalium & hiſtoriarum illius Scriptoris volumen, quod apud heredes proſtat, quod Notulis in margine *Battaglini* manu in univerſum eſt referrum. Quare anno MDCLXXVIII. Riverſani apud Verdonum edidit librum, qui Notas continet civilis prudentiae in primam Epiſtolam M. T. Ciceronis ad Q. Fratrem. Hae Notae XI. Capitibus, ſeu Diſſertationibus abſolvuntur, quae dictis quam plurimis *Taciti*, eiuſque admiratoris *Traiani Boccalini* ſunt refertae, & *L. Annaei Senecae* ſententiis. Vbi terrarum exſtet locus ille Riverſanus, in quo editus eſt liber, plane ignoro, ſed Caeſenae ſubſpicor fuiſſe editum, vel in aliquo oppidulo Caeſenatis ditionis, quum Cenſores Caeſenates eum librum adprobent. Is Liber *Alderano Cybo* Cardinali a *Battaglino* fuit conſecratus. Anno MDCLXXX. maioris molis, ſed eiuſdem fere argumenti, librum alium vulgari Italorum lingua conſcripſit, eumque Romae per *Michaelem Herculem* edidit, & *Gaſparo Carpineae* Cardinali fautori ſuo dedicavit. Huic libro titulum fecit: *Il Legiſta Filoſofo*. Inter inedita eius ſcripta opus item moralis Philoſophiae extat ſexaginta *Nuntia*, ſeu *Apologos Ferarum*, continens; in quibus varii brutorum animantium caſus narrantur, ſalibusque, & obſervationibus acutis, ornantur, ut per eos caſus univerſa moralis Philoſophia explicetur. Quum per plureis annos Interamnae Praetor eſſet, amicitiam ibi cum *Sperello Sperellio* iniit, doctiſſimo homine, qui tunc Epiſcopus erat illius civitatis, quique poſtea Cardinalis fuit. Conſuetudine tanti viri, qui
in-

in Hiſtoria Eccleſiaſtica adprime erat verſatus. *Marcus* quoque huic ſtudio operam navare coepit, & libros huius argumenti legere, eos praeſertim *Sperellio* ſubpeditante. Quare ex hoc ſtudio magnum edidit Venetiis apud *Polettum* anno MDCLXXXV. volumen Conciliorum Hiſtoriam generalem complectens, quod auctum quadringentis & tribus Conciliis, & argumentis variis adverſus *Maemburgum* Loiolitam transfugam, iterum ibi recudit anno MDCLXXXVIII. & *Innocentio XI.* Pont. Max. dicavit. Editione huius Hiſtoriae *Marcus* magnam famam ſibi comparavit cum apud Italos, tum apud exteros. Apud Italos quidem, & cum primis apud *Innocentium XI.* P. M. qui Praeſulem eum creavit, & Praetorem Fabrianenſem, Epidaurique Archiepiſcopatum ei obtulit, & Nuceriae deſignavit Epiſcopatum. Item apud Gallos, qui quum reſciviſſent *Marcum* volumen praeterea ingens conſcripſiſſe Annaleis regni Gallorum continens, & geſta regiae domus Borbonicae, per miniſtros regios Romae oblatus eſt *Marco* Pariſiis titulus regii Hiſtoriographi cum honeſto ſtipendio, quod utrumque *Marcus* generoſe recuſavit, & inter Italos manere voluit, Romanae ſedi, cui erat addictiſſimus, conſtanter inſerviens. Nucerinum Epiſcopatum gerens duos edidit libros, qui Parochos docent, quomodo divina verba populo explananda ſint; item parvum librum aſceticum edidit, quo pietas in divum Rinaldum Epiſcopum, & Nuceriae Patronum, promovetur. Interim dum *Marcus* Nuceriae maneret, *Paullus* frater eius germanus Ariminum

ve-

venit, & favore *Dominici Mariae Curſii* Florentini, Cardi alis, & Arimini Epiſcopi, cui *Paullus* honoris cauſſa erat a poculis, ſicuti fuerat anteceſſori eius *Marco Gallio* Mediobonenſi, & ſucceſſori *Ioanni Antonio De via* Bononienſi, Cardinalibus ampliſſimis, & Arimini Epiſcopis, factum eſt, ut haec *Battaglini Marci*, & *Paulli* fratris, familia in patriciorum ordinem legeretur, ſeu poſtliminii iure revocaretur. *Paullus* uxorem duxit *Camillam Zangheram* ex patricio genere huius urbis, ex qua duos natos procreavit *Magdalenam* ſcilicet, quae *Franciſco Sartonio* nupſit, & *Andream*, de quo infra, ut de optimo adoleſcente, & viro egregio, verba faciemus. In Nucerino otio praeter libros, quos nominavi, opus aliud mole maximum, Annaleis ſcilicet Sacerdotii & Imperii, ſaeculi mox exacti, cogitavit, quod in quattuor volumina ſeu tomos in folio amplicri digeſſit, ut quodlibet volumen XXV. annorum intervallum, ſeu unius Iubilaei contineret Hiſtoriam. Primum volumen editum eſt Venetiis apud *Andream Polettum* anno MDCCI. II. anno MDCCIIII. III. anno MDCCVIIII. & quartum denique anno MDCCXI. Huius quarti voluminis meminerunt Ephemeridum Italicarum Compilatores, & epitomen dederunt articulo VIII. tomo ſexto, quum de ſuperioribus tantum levem mentionem feciſſent tomo ſecundo, utpote quae edita fuerant ante quam Ephemeridas ſuas conſcribere coepiſſent. Hos Annalium libros ſcripſit ſuaſu doctiſſimi, & ſanctiſſimi, hominis, *Gregorii Barbarici*, Cardinalis &

Epi-

Epiſcopi Patavini, qui quum vidiſſet Conciliorum eius Hiſtoriam diligenter fuiſſe conſcriptam, & ita ab Eruditis avide excipi, ut iterum recuderetur, epiſtolam ei ſcripſit anno MDCXC. Septembri menſe, qua epiſtola *Marco* ſuaſit, ut opus hiſtoricum adgrederetur, quod res Eccleſiae, & geſta Principum, qui ſaeculo ſuperiori, in quo *Barbaricus*, & *Battaglinus*, vivebant, una complecteretur. Id feliciter praeſtitit *Battaglinus* tribus magnis voluminibus in folio: & quarto denique eadem forma; quum ipſe ultra praedictum ſaeculum vixerit, & anno tantum MDCCXVII. ut videbimus, fato conceſſerit. Trevoltianarum Ephemeridum Auctores *Battaglinum* accuſarunt, quod ex Scriptoribus admodum vulgaribus notitias ſuas hiſtoricas deſumeret; verum Auctores illi plerumque Italis noſtris infenſi ſunt, cuius rei plura exſtant argumenta cum apud Ephemeridum Italicarum Compilatores, tum apud alios. *Battaglinus* enim fere ſemper probatos Auctores citat, & nonniſi parce & caute infimae notae Scriptores adducit. Verum in his libris ſtilo paullo ſublimiori uſus eſt, quam poſtulet Hiſtoriarum, & Annalium praeſertim, expoſitio; ſed in hoc excuſandus eſt *Battaglinus* ſi quando peccarit, & hoc ſaeculo ſuo vitio vertendum, in quo Itali Scriptores plerumque preſſe, & leniter, res ſuas exponere non poſſe videbantur. De his Annalibus placet heic referre, quae mihi olim narravit *Philippus Bonarotius* Senator Florentinus ampliſſimus. Quum enim eorum primum volumen Venetiis eſſet edendum, & Veneto rei librariae

Cen.

Cenſores quaedam in eo non probarent, quae aliquo pacto maieſtati eorum reipublicae adverſari viderentur; id totum mutarunt, & ita mutatum inconſulto *Battaglino* edere fecerunt, Quod exemplum ſane ſatis liquido oſtendit, non omnia, quae edita cernuntur, eſſe ſemper ad Auctoris mentem, quum Cenſores interdum ad libitum, & Typographi vel ignorantia, vel malitia, aliquid invertant, vel mutent. Quare libri manu exarati ſemper videntur praeferendi, quippe qui genuinam Auctoris mentem oſtendunt ab omni Cenſorum metu, & Impreſſorum ignorantia, vel malitia, ſemotam. Nuceriae quum maneret *Marcus*, & Nuceriae aquae pro morborum variorum curatione a multis adhiberentur, earumque balneationes praeſertim, factum eſt, ut permulti nobiles viri, & matronae Nuceriam frequentarent, praeſertim temporibus *Clementis XI.* Pont. Max. cuius favore Thermae Nucerinae inſtauratae fuerant. Occaſione huius frequentiae *Marcus* pro ſua humanitate multos hoſpitio excipere ſolebat, & cum multis aliis amicitiam blando adloquio, & ſermone erudito, ſalibuſque urbanis admiſto, inire, veteremve amicitiam confirmare. Inter ceteros per plureis annos hoſpitio excepit *Chriſtinum Martinellium*, patricium Venetum, virum in omni eruditionis genere verſatum, ſed adprime in experimentali Philoſophia, qui quotannis aeſtivo tempore Nuceriam ad ſalubreis illas aquas, & ad balneas adventabat; unuſque ex gratis amicis *Marci Chriſtinus* ſemper fuit, cum quo perpetuum dum vixerunt litterarum commercium interceſſit. Carus quo-

quoque fuit per haec tempora, acceptuſque, liberalis *Marci* animus *Clementi XI*, Pontifici Maximo, qui eum anno MDCCII. Viſitatorem Apoſtolicum Dioeceſeon Hoſtiae & Velitri, Portus & Sabinae, creavit; quo in munere ſumma diligentia, & cura, per XV. menſeis verſatus eſt, cui in fine beneficus ille Pontifex in laborum praemium Reatinum Epiſcopatum obtulit; at ille Pontificem oravit, ut ſineret Nuceriae ſuae manere. Verum poſt aliquot annos Pontifex memor *Battaglini* meritorum, eum Epiſcopum ad Solium Pontificium adſtantem declaravit, & divi *Benedicti* Abbatiam Conſiſtorialem in Gualdi Dioeceſeos Nuceriae oppido conceſſit. Anno MDCCXVI. quum fato functus eſſet *Paullus* eius frater, & multo prius *Camilla* huius uxor, & *Marcus* a fratre tutor relictus fuiſſet filiorum ſuorum, qui duo erant, *Andreas* nempe, & *Magdalena*; & quum vacans eſſet Sedes Epiſcopalis urbis Caeſenae, quae proxima eſt Arimino, ut in tutelam melius incumberet, a Nucerina Eccleſia ad Caeſenatenſem, pene patriam ſuam, in qua non minus quam in Ariminenſi praedia poſſidebat, ſe transferri ſinit. Menſe igitur Iunio Caeſenam recta venit, neque Romam antea ivit, ut Epiſcopi novi ſolent. Impetravit enim a Pontifice veniam Romam non adventandi, quod aliqui interpretati ſunt, id egiſſe, ut in propoſito quodam ſuo maneret, quod antea aliquot annis dum Roma diſcederet amicis ſuis expoſuerat, ſe Romam numquam eſſe reverſurum. Caeſenae liberaliter a Caeſenatibus exceptus fuit, quippe qui eum, ut civem ſuum, ho-

honorabant, moreſque eius probatos norant. Caeſenae varias diſcordias inter civeis, & praeſertim inter ſacras virgines Veſtaleis compoſuit, quae iratae erant omnes *Fontanae* Epiſcopo, *Marci* anteceſſori, viro probo quidem, sed moribus aſperis, & pene ſubruſticis. Coenobiis enim frequenter ſublata Cruce publice exceſſerant, ut Romam ad Pontificem Maximum confugerent. Adventu *Battaglini* pacata ſunt omnia; qui blando adloquio, & ſuavitate morum, diſcordias civileis ſtatim compoſuit omneis. Verum vix deguſtato hoc placido regimine Caeſenates Paſtorem ſuum amittunt: ſequenti enim anno *Marcus* mortem occubuit. Antequam morbus ultimus eum invadit, oculorum dolore, & lippitudine, tentari coepit, quae ut leniret in Mautianum ruſticandi cauſſa ſeceſſit; verum ibi febri acuta conreptus undecima die, ex quo aegrotare coeperat, obiit, idque ei contigit a. d. XIII. Kal. Octobrias anno MDCCXVII. in eadem paterna domo; in qua natus erat, & in qua in pueritia nutritus, & educatus, fuerat. Ita vivere deſiit *Marcus Battaglinus* poſtquam ſeptuaginta duos circiter annos vixiſſet. Vir erat ſtaturae procerae, habitu corporis pingui, & voce ſonora & clara, ut imperare videretur, dum loquebatur; quamquam humanitate ſalibuſque urbanis lenire ſoleret naturam ſuam, quae primo adſpectu ſuperciliosa intuentibus videbatur. Aetatem inter litterarum ſtudia conſumſit, & optimus Scriptor fuiſſet, ſi meliores praeceptores habuiſſet, & ſaeculo cultiori vixiſſet. **Conciliorum Hiſtoria non vulgarem famam ipſi pe-**

peperit, etiam apud homines limatiores. Cetera eius opera, ut verum fatear, aequiores rerum iudices, & aeſtimatores deſiderant. Noctu poſt eius mortem clam cadaver eius Caeſenam fuit delatum cura *Caſparis Zancheri* Patricii Ariminenſis, pupillorum huius *Battaglinae* familiae avunculi, & in Cathedrali Eccleſia conlocatum, ubi *Petrus Sanctes Caſadeus* in Seminario litterarum humaniorum Praeceptor Latinam orationem extemporaneam de laudibus *Battaglini*, epicedii loco, habuit. Sed ſeptima die poſt mortem, Canonicorum Collegium iuſta perſolverunt magnifico adparatu; in quibus *Iulianus Galeſſius* Patricius Caeſenas, & Canonicorum Praepoſitus, copioſiorem Latinam orationem de laudibus *Battaglini* recitavit.

Quae edidit *Battaglinus* ſunt ſequentia.

Civilis Prudentiae Notae in Epiſtolam primam M. T. Ciceronis ad Q. Fratrem. Riverſani apud Verdonum 1678. *in* 8.

Il Legiſta Filoſofo. in 4. *Roma appreſſo Michele Ercole* 1680.

Iſtoria univerſale di tutti i Concil Generali, e Particolari, di S. Chieſa. Venezia appreſſo Andrea Poletti 1686, *in fog.*

La medeſima riſtampata, e accreſciuta di 403. *Concilii, e diviſa in due Tomi in foglio, appreſſo il medeſimo* 1689. *e* 1704.

Iſtruzione a Parochi per iſpiegare a' Popoli la parola di Dio. Tomi 2. *in* 12. *appreſſo il medeſimo* 1692.

Eſercizi ſpirituali per la Novena di S. Rinal-

naldo Veſcovo, e Protettore di Nocera in 12. 1694. appreſſo il medeſimo.

Annali del Sacerdozio, e dell' Imperio Tomo I. che contiene gli avvenimenti dall' undecimo fino al duodecimo Giubileo, in fog. Venezia appreſſo il medeſimo 1701. Tomo II. 1704. Tom. III. 1709. e Tomo IV. 1711. appreſſo il medeſimo.

Inedita Opera.

Storia di Francia, o ſieno Annali del Regno di Francia.

La Gazzetta del Barco, o ſieno 63. Novelle degli avvenimenti delle Fiere, ſcritte dal Segretario Platonico.

AN.

ANDREAS BATTAGLINVS

Iano Planco Auctore.

Qui *Marci Battaglini* vitam brevi commentario, dedimus, iidem modo *Andreae* fratris filii paullo copioſiori adhuc dabimus. Natus eſt is Arimini nobilibus parentibus, *Paullo Battaglino*, qui fuerat trium Cardinalium Arimini Epiſcoporum honoris cauſſa a poculis; & *Camilla Zanghera* anno MDCCIIII. a. d. XVIII. Kal. Decembrias. Trimus quum eſſet, tabe occubuit mater eius *Camilla*, morbo peculiari ſuae familiae, quo noſtra aetate penitus deleta eſt; ſed mortem ei acceleravit mammillae ſcirrhus, epotumque auri potabilis pharmacum, quod ad ſcirrhum ſanandum Cyclicus Medicus ei ſuaſerat. Secundo aetatis ſuae luſtro vix exacto obiit *Paullus* pater, & in *Marci* patrui, Caeſenae Epiſcopi, tutelam venit, apud quem per XV. menſeis, quoad Epiſcopus vixit, moratus eſt; & ab eodem in Hiſtoria, quo plurimum valebat Praeſul ille, edoctus, quum antea minoribus ſtudiis ab *Ioanne Maria Cella*, viro egregio, & in Mathematicis erudito, informaretur. Mortuo Epiſcopo, *Caſparus Zangherus* avunculus, qui tutor eius relictus fuerat, curavit, ut *Andreas* in Collegium nobilium adoleſcentium, quod Bononiae apud Loyolitas eſt, ingrederetur, idque contigit circa finem anni MDCCXVII. quo tempore *Plancus* quoque in eadem urbe medicinae addiſcendae cauſſa morabatur, eumque interdum inviſebat, ſed moeſtum ſemper, & animo

turbatum inveniebat. Qui enim brevem, geometricamque, addiſcendi methodum apud *Cellam* Arimini deguſtaverat, & Caeſenae apud patruum blando adloquio Hiſtoriae vim vitae magiſtrae ſenſerat, *Alvari*, & *Candidati* tricas, quibus per longas ambages Loyolitae tunc Grammatices artem, & Rhetoricam, docere ſolebant, ferre non poterat; quare minutiarum illarum brevi pertaeſus, Muſicae potius operam dabat, quam ab externis hominibus ediſcebat, qui ab Loyolitis advocari ſolent, ut adoleſcentes, qui in eorum tutela ſunt, non ſolum in litteris, ſed in equeſtribus artibus, ut aiunt, in ſaltandi ſcilicet, citharae pulſandae, armorumque agitandorum, arte informentur. Citharae igitur pulſandae artem Bononiae tunc didicit *Andreas*, quam utinam numquam didiciſſet; immodico enim eius rei ſtudio immature deceſſit, ut videbimus. Verum vix exacto biennio, ex quo Bononiam venerat, quum morae in illo Collegio taederet, repente invitis Loyolitis cuſtodibus, & avunculo tutore Ariminum reverſus eſt, atque in ipſius tutoris domum venit, ubi ſolus in libris volutandis a patruo relictis, a quo ex aſſe ſcriptus fuerat heres, αὐτοδίδακτος factus fuit. Vtebatur tamen conſuetudine *Ioannis Mariae Cellae* familiaris ſui, qui res ſuas domeſticas curabat. Per unum alterumve annum in lectione librorum hiſtoricorum verſatus eſt, & in Numiſmatum antiquorum cognitione, emtis libris quam plurimis ad Numiſmaticam rem pertinentibus, & cimelio veterum Numiſmatum, quod apud *Hieronymum Leonardellum* patricium Ariminenſem erat. Anno MDCC-

XXII.

XXII. aetatis ſuae duodevigeſimo, quum ſentiret ſtudia omnia ſine Philoſophia frigida eſſe; & inſulſa, Philoſophiae operam dare decrevit, & Patavium conceſſit, ubi per annum Philoſophiae operam dedit ſub *Carolo Franciſco Cogroſſio*, publico Medicinae practicae profeſſore, qui privatim Philoſophiam docebat. Patavii non ſolum *Cogroſſii* domum frequentavit, ſed publice frequenter quoque audivit *Valliſnerium*, *Polenum*, *Morgagnum*; *Burghium*, *Serryum*, *Lazzarinum*, doctiſſimos acutiſſimoſque homines, & primaries tunc illius Academiae profeſſores; inter quos duo ſuperſtites adhuc ſunt, & amici noſtri, *Ioannes* ſcilicet *Polenus* Mathematicus eximius; & *Ioannes Baptiſta Morgagnus* Anatomicus noſtra aetate ſcriptis clarus, quos honoris cauſſa nominatos volo. Vſus eſt tamen familiariter, ut amico, & Medico, *Antonio Valliſnerio*, quum Patavii non admodum bona valetudine frueretur. Circa finem huius anni iter ſuſcepit per varias urbeis ditionis Venetae, & Mediolanum uſque venit, quo revertens reliquas Galliae Ciſalpinae urbeis, quae ſunt Mediolanum inter, & Ariminum, luſtravit; deinde initio anni ſequentis Romam petiit, ubi duodeviginti circiter menſibus moratus eſt, variorum doctorum hominum amicitia uſus, & praeſertim *Petri Aſſalti* eximii Medici, viri longe doctiſſimi, & in linguis eruditis peritiſſimi, quo etiam ut Medico uſus eſt, praeſertim ad acutam febrim depellendam, quam aeſtate anni MDCCXXIIII. eſu nimio lactis, & fructuum hornorum, contraxit, qua ut penitus convaleſceret ſuaſu *Aſſalti* Roma deceſſit, & Nuceriam ad ſalubreis illas aquas venit, ubi tamen ſalubritate potius

 aeris.

aeris, quam aquarum uſu, brevi convaluit; multumque eſt ibi amicorum conſuetudine, qui illuc adventarant, recreatus, blandaque recordatione patrui ſui, quam apud Nucerinos fieri audiebat, quorum per XXVI. annos fuerat Epiſcopus. Sanus Ariminum venit in patriam, & variorum amicitia tunc uſus eſt, *Planci* praeſertim, qui *Paulli* patris fuerat amicus, & *Cellae* neceſſarii ſui, qui etiam non admodum firma valetudine utebatur ex difficultate inteſtinorum, qua aeſtate nimiis caloribus laboraverat. Circa finem anni Arimino deceſſit, & Romam iterum venit tempore anni Iubilaei, quo tempore *Ioannes* quoque *De Via* Cardinalis, & Arimini Epiſcopus, Romam conceſſit. Romae non amplius ſolus manſit, ſed apud *Livium Bonzettum* Iuris conſultum, & Patricium Ariminenſem, cognatione ipſi proquinquum, in Cerarorum aedibus manebat. Ibi praeter *Aſſalti*, & veterum amicorum, uſus eſt coſuetudine *Ioannis Antonii De Via* Cardinalis, viri doctiſſimi, & *Antonii Leporotti* eius Medici, qui poſtea duorum Pontificum Maximorum creatus eſt Archiater; quibus circa finem anni Iubilaei *Plancus* quoque ſe adiunxit, qui Romae tunc, & Neapoli, per aliquot menſeis moratus eſt. Romae *Plancus* quum eſſet, ſemper cum *Buttaglino* erat, & ipſi cum communibus amicis, cum *Antonio Leporotto* nempe, cum *Caeleſtino Galiano*, cum *Antonio Nicolino*, cum *Caſparo Cerato*, cum *Petro Aſſalto*, viris doctiſſimis, & probatis. Vtebatur tunc praeterea *Battaglinus* conſuetudine *Frangipanis*, Senatoris Romae ampliſſimi, apud quem veſpere ſin-

ſingulis diebus Coetus quidam doctorum virorum conveniebat, qui de veterum monumentis, & numis diſſerebant, quarum rerum ſtudium Romae merito in ſummo pretio ſemper fuit. Anno ſequenti *Andreas* Ariminum rediit, quo tempore Cardinalis *De Via* Ariminenſi Epiſcopatu ſe abdicavit, & Romae, quae Cardinalium eſt propria ſedes, vivere decrevit. Arimini *Battaglinus* plurimum uſus eſt conſuetudine *Ioannis Baptiſtae Gervaſonii*, in re numiſmatica antiquorum verſatiſſimi, qui egregium Muſeum numiſmatum, & aliarum rerum antiquarum, poſſidebat; & *Planci*, qui tunc Philoſophiam Eclecticam docere coepit magna optimorum adoleſcentium frequentia, quibus ſe adiungere voluit *Battaglinus*, qui & ut *Plancus* frequenter domi ſuae eſſe vellet, rogabat, cui ille ex animo morem gerebat. Nam tunc *Battaglinus* Philoſophiae ſtudio incenſus, & amore antiquitatis libros philoſophicos, & geometricos emere, & lapides quotcunque antiquos, & figlinas omneis, quae in ditione Ariminenſi invenire poterat, conligere, & in atrio domus ſuae conlocare decenter, ne perirent. Horum lapidum litteratorum, & figlinarum, conlectio in atrio domus ſuae adhuc exſtat, quae *Planci* cura una cum aliis Inſcriptionibus in fine libri *Temantiae*, qui de Ariminenſi Ponte, & Arcu, egregiis duobus Auguſti aedificiis, agit, edita eſt. Anno MDCCXXVII. quum ſoror eius *Magdalena Franciſco Sartonio* deſponſata eſſet, & in eo ipſa iam eſſet, ut viro ſuo nuberet; quumque taleis nuptias *Battaglinus* plane non probaret, licet cum viro nobili, & divite. & co-

cognatione praeterea coniunćto, ne nuptiis intereſſet Etruriam luſtrare decrevit; quare circa dimidium menſis Iunii cum aliquot civibus Ariminenſibus, qui Etruriam cogitabant, iter ſuſcepit, quibuſcum *Plancus* quoque in fine ſe adiunxit, eoſque progredienteis ad Apennini radices adſequutus eſt. Eodem die Pennam Billorum oppidum, quod nunc Feretriae Provinciae ſedes Epiſcopalis eſt, venerunt; ſequenti die in Vernae *Franciſci* magni Minorum Monachorum Patriarchae receſſu fuerunt, & inde peramplum Camaldulenſium Eremitarum Coenobium luſtrarunt, quo in loco Bibliothecam quibuſdam optimis libris refertam, & Archivum inviſerunt, ea ipſis *Bonadieſio* Eremita Ariminenſi erudito oſtendenti; deinde Vallumbroſam venerunt; ibi treis egregios Piſanae Academiae antecesſores cognoverunt, *Franciſcum* nempe *Sylvaticum Guidium* Volaterranum, qui modo Piſarum eſt Archiepiſcopus; & *Franciſcum Mariam Picolomineum* Senenſem, Pientiae modo Epiſcopum; & *Gualterium* Abbatem, qui Praeſes tunc erat Collegii, quod *Sapientiam* vocant, quique litteras *Planco* dedit ad *Nicolaum* fratrem, tunc *Violantis* Magnae Principis Medicum. Demum Florentiam venerunt, ubi per aliquot dies morati ſunt, & aliquot eruditos homines una cognoverunt, *Andreinium* praeſertim, qui in re Numaria antiquorum erat peritus; *Nicolaum Gualterium* Medicum, *Brunum Tozzium* Vallumbroſanum, & *Petrum Antonium Michelium*, egregios Botanicos, quorum primum Romae cum *Aſſalto*, & *Planco*, noverat *Battaglinus*. Piſas & Liburnum venerunt, deinde Florentiam reverſi ſunt, qua in urbe *Plancus* dimiſſo

Bat-

Battaglino cum negotioſis ſuis ſociis per aliquot dies ſolus moratus eſt. Arimini per quinque annos *Battaglinus* adſidue in ſtudio Philoſophiae, & Antiquitatis eſt verſatus, quo tempore ſemel, ſuaſu *Planci*, ut animum ab immodico ſtudio averteret, quo corpus ei infirmabatur, Venetias conceſſit; inde ſanior & robuſtior Ariminum revertens Graecae linguae impenſe operam dare coepit. Anno MDCCXXVIIII accidit ut *Petrus Antonius Michelius* excellens Botanicus, & *Thomas Perellius* eximius Mathematicus, vir eruditiſſimus, & in omni ſcientiarum genere verſatus, qui tunc adoleſcens erat, Florentini utrique Ariminum venirent ex itinere Botanico redeuntes, quod per Apuliam fecerant, & apud *Plancum* hoſpitarentur. *Plancus* eruditionem, & doctrinam *Perellii* ſingularem admiratus ad *Battaglinum* adduxit, cui quum *Perellius* dixiſſet ſequenti anno Bononiam eſſe venturum, ut ibi ſub *Euſtachio Manfredio* egregio Mathematico Aſtronomiae ſcientiam addiſceret, *Battaglinus* quoque tunc amore incenſus eſt Bononiam veniendi, ut una cum *Perellio* eſſet, & conſuetudine tanti viri uteretur; & frequenter poſtea interrogabat *Plancum* num accepiſſet *Perellium* Bononiam adventaſſe. Per ea tempora *Battaglinus* dimiſſo linguae Graecae ſtudio repente ad Latinos Hiſtoricos convolavit; & ex his ad probatos fere univerſos Latinos Scriptores, ad *Plautum* nempe, ad *Terentium*, & praeſertim ad *M. Tullium Ciceronem*, quorum libros non minus quam hiſtoricos *Salluſtii* & *T. Livii*, adſidue legebat, & dicta, & facta memorabilia, in adverſaria referebat; quorum adverſariorum duplex

 ge-

genus eſſe voluit; alterum quod marginales fere adnotationes contineret, & intra ipſas paginas Auctorum paginis aliis adiectis eſſet deſcriptum; alterum quod ſeparatim in Adverſaria proprie dicta & alphabetico ordine diſpoſita, referretur. Hoc ipſo anno accidit quoque circa finem menſis Maii, ut per aliquot dies *Marcellus Venutus* Cortonenſis, Eques Divi *Stephani*, Arimini eſſet, qui tunc in itinere comes erat *Henrici Coleranii* Equitis Britanni nobiliſſimi, & in Italia apud Eruditos clari. *Venutus* eum *Battaglino* amicitiam iniit, curavitque ipſe pro ſua humanitate, ut *Battaglinus* inter Etruſcos Academicos, qui Cortonae in patria ſua ſunt, cooptaretur. Verum quum in *Battaglini* manus paullo poſt liber Academici cuiuſdam Etruſci nomine editus veniſſet, qui duas *Euripidis* de Iphigenia fabulas continebat in Italicum ſermonem converſas, riſit *Battaglinus* Etruſcum illum Academicum, qui primus editis ſcriptis hoc nomine in notitiam eius venit, quod videret nullo pacto vim Graeci ſermonis intelligere, ſed ex verſione aliqua Latina in Italicum ſermonem omnia permutare, ne argumento quidem excepto, quamquam campano quodam ſupercilio traductores omneis, *Stiblinum* praeſertim aſperis verbis proſcinderet; quum ipſe ita rudis eſſet, ut ne vim quidem vernaculi ſermonis noſſet, ſed ad libidinem voces Italicas novas ridicule confingeret, & vocem Latinam *Quemquam* in *Cunqua* inaudito Italis vocabulo verteret. Quare *Battaglinus* Academicum illum Etruſcum per iocum ſemper *Cunqua Academicum* vocitare ſolebat. Sed magis riſiſſet *Battaglinus* ſi vixiſſet, & libros varios a

qui-

quibuſdam aliis illius Academiae Sociis conſcriptos, & a Cenſoribus Academiae adprobatos vidiſſet, in quibus nulla Graecae, & Latinae linguae ratio habetur, ſed paſſim in iis, ne dicam ſemper, reperiatur: *Eſculapius, Eſchilus, Ippocrates*, & *Alfabetum* ipſum, pro: *Aeſculapius*, *Aeſchylus*, *Hippocrates*, & *Alphabetum*, ſine diphthongis, & ſine adſpiratione in reliquis vocibus, & Iῶτα ſemper loco Y tenuis poſito, ut prorſus ἀναλφάβητοι videantur permulti ex Academicis illis, ut ἀναλφάβητος dictus eſt *Iuſtinianus* ipſe, qui Leges Romanas excerpere, ſeu diſcerpere iuſſit. Quare unus ex illis ab viro quodam Graece docto notatus, quod ruditer, & ſine orthographia Latina, & Graeca libros ederet, reſpondit, ſe Diphthongicam, & Hypſilonicam illam ſcientiam ignorare. Sed qui huiusmodi eſt doctrinae, quomodo obſcuram, & pene ignotam, deperditamque, veterum Etruſcorum linguam intelliget, aliisque explicabit? Anno MDCCXXXI. quum *Renatus Maſſa* Neapolitanus, Epiſcopus Arimini, percuperet a Senatu Ariminenſi, ut ipſe, & *Auguſtinus* eius frater Peſchiaſeroli Dominus Baronis nomine, huiuſque liberi poſterique in Ariminenſem Civitatem adſcriberentur; & in nobilem Ariminenſium ordinem legerentur, quod omne cohortatione *Barptolemaei Maſſaei* in Aemilia Provincia Pontificis Maximi vice ſacra Legati, non ſine aliquorum concertatione obtinuit; Senatus Ariminenſis, & praeſertim VIII. Viri Rei curandae Ariminenſium Publicae, quorum Magiſter erat *Ioannes Baptiſta Gervaſonius*, *Andreae Battaglino*, quem Latine ſcri-

ſcribendi peritiſſimum norant, mandarunt, ut decretum publicum conſcriberet, quo cuique pateret ea Epiſcopo, & *Auguſtino* eius fratri, & huius liberis poſteriſque Civitatis datio, & in Nobilium ordinem lectio; quod egregie praeſtitit *Battaglinus*, & decretum illud Romanorum antiquorum formulis ita conſcripſit, ut tempore Romanae Reipublicae conſcriptum videretur, idque editum fuit hoc ipſo anno Venetiis per *Andream Polettum*. Quum decretum illud antiquioribus loquendi Romanorum formulis ſcateret, aliqui *Battaglinum* carpebant, quod nimis obſoletis, & priſcae linguae Latinae vocabulis uſus, decretum illud conſperſiſſet, & quaſi conſpurcaſſet, ignari *Marcum* ipſum *Tullium Ciceronem* in legibus ferendis non ſui temporis lingua uſum, ſed paullo vetuſtiori, atque eo leges, & decreta publica plerumque conſcribi, ut antiquitate ſermonis maieſtatem quamdam praeſeferant. Anno ſequenti, quum Arimini a privato quodam homine novum theatrum in via Clodia dicta fuiſſet conſtructum, idque non inepte Arcadicum nuncuparetur, quod Arcades ſeu Pelaſgi revera Ariminum primo condiderint; & non *Herculis* ſocii, ut *Annii* Viterbienſis docent fabulae, in cuius honorem publicum aliud exſtat theatrum, quod Herculeum vocant; & quum in Arcadico theatro varia hoc anno agerentur dramata, modos facientibus excellentibus Muſicae artificibus, qui Bononia Ariminum venerant, *Battaglinus* iterum Muſicam impenſe colere, quam *Planci* conſuetudine pene intermiſerat, & quum permagni referret quid ipſe vellet; nam, ut aiebat tunc *Plancus* ex dicto *Caeſa*-

ris

ris de *M. Bruto*, ita *Plancus* de *Battaglino*, permagni enim refert quid ipſe velit, nam quicquid vult vehementer vult; ita impenſe *Battaglinus* Muſicam tunc coluit, ut dies noctesque integras ſumma hyeme & aeſtate ſummis caloribus in cithara pulſanda modiſque faciendis inſumeret, in quo ſtudii genere ut excellens artifex fieret varios Muſicae Magiſtros, & Cantores ipſos advocavit, & apud ſe aluit; & quum Bononienſes ipſi eſſent, vel Bononiae manerent, & Ariminii nullus Muſicae Magiſter inventus eſſet, qui animum eius expleret, Bononiam eos ſequi decrevit, & circa finem anni MDCCXXXII. Bononiam venit, ubi tunc morabatur etiam Aſtronomiae addiſcendae cauſſa *Thomas Perellius*, qui nunc eſt eximius Mathematicus publicus in Piſana Academia, cuius gratia Bononiam venturum eſſe, ut vidimus, profeſſus eſt antea; verum niſi Muſica ſtimulos modo adiecisset, Bononiam fortaſſe numquam reviſiſſet. At Bononiae degens nullum quoque ibi Muſicae Magiſtrum invenit, qui docendo ipſi ſatis faceret. Quum enim recentiores Muſici practici omnes ſint, ignorant plerumque regulas illas proportionis harmonicae, quae apud veteres Muſicae profeſſores, & Phyſico-Mathematicos, reperiuntur, & de quibus exquiſite doctores ſuos percontabatur *Battaglinus*. Quare dimiſſis practicis illis doctoribus, ἀυτοδίδακτος in Muſica fieri decrevit, & linguae Graecae potius operam dabat ſub *Marino* quodam Corcyraeo, quem Graece ſcire aliqui Bononiae arbitrabantur, quod in Graecia natus eſſet: quaſi antiqua Graecorum lingua in ipſa Graecia non perierit, ut in ipſo

ipſo Latio periit lingua Latina. Doctorem hunc Corcyraeum ita rudem in omni eruditione invenit, ut crederet Corcyram patriam ſuam a quadam Diva Chriſti Martyre nomen deſumſiſſe, quare per iocum *Battaglinus* ἀνοδιδάσκαλον eum adpellare ſolebat. Verum, ut *Plancus* quoque ei ſuaſerat, ut ſe ab intemperanti Muſicae ſtudio diſtraheret, uſus eſt conſuetudine Graeculi illius; nam, ut ad ipſum *Plancus* ſcripſerat, quemadmodum Satmatae cuidam Latine ſcire cupienti plus proderit, ſi Itali viri conſuetudine utatur, qui lingua loquitur Italiae vernacula, quae a Latina eſt detorta, quam ſi cum Germano, vel Turca finitimo ſuo colloquatur; ita accidit nobis, ut maiorem progreſſum in Graeca lingua propter vocabulorum copiam faciamus, ſi cum Graeciae indigenis loquamur, quam ſi cum Italis, & alienigenis. Bononiae quum eſſet, frequenter apud *Proſperum* Cardinalem *Lambertinum* erat tunc Bononiae Archiepiſcopum, & modo Pontificem Max. apud quem Litterarorum Bononiae degentium Coetus cogebatur, quorum doctiſſimus, clementiſſimuſque Pontifex erat Patronus; ibique quum maneret is, inviſit eum *Plancus* vetus amicus ſuus, & primum initio anni MDCCXXXIII. quo tempore a *Battaglino* fuit invitatus, ut lectiones publicas anatomicas audiret, quae illo anno ab *Hyacintho Voglio*, *Sbaraleae* Sectatore, exponebantur, cadavera ſecante *Bonazyolio*, qui *Valſalvae* ſucceſſerat. Apud ipſum tunc moratus eſt *Plancus*, & laetatus eſt, quod eum invenerat immodico Muſices ſtudio non teneri, cuius gratia *Batta-*

gli-

glinus Bononiam venerat; ſed Graecam linguam colere, & Inſtituti Academiam frequentare, cuius factus fuerat ſocius, in amicitiam ſuam receptis doctioribus tunc temporis Academiae Bononienſis hominibus, *Euſtachio* nempe *Manfredio* ſummo Aſtronomo, *Franciſco Zanotto* Philoſopho, & Academiae a ſecretioribus litteris, *Matthaeo Bazzano* praeclaro Medico, *Ioſepho Montio* excellenti Botanico, *Ferdinando Antonio Ghedino* viro in omni ſcientiarum genere verſato, aliiſque illius Academiae Profeſſoribus; ſed in primis *Ghedinum* coluit, eoque familiariſſime uſus eſt, quod *Ghedinus* in linguae Latinae cognitione maxime eſſet verſatus, & ita Latine ſcriberet, ut cum optimis aurei ſaeculi Scriptoribus poſſet comparari. Ante quam *Plancus* Bononia diſcederet populari illa coryza laborare coepit *Battaglinus*, quae per univerſam Italiam ſecunda vice graſſata eſt, qua ipſe numquam bene convaluit, & ex qua tabem ſenſim contraxit, praeſertim quum circa finem veris, & aeſtatis initio, Drama ſolenne Bononiae ageretur, ad quod audiendum, quum bellum nondum exarſiſſet, quod univerſam Italiam poſtea permiſcuit, & adhuc permiſcet, ex univerſa Gallia Ciſalpina, atque ex Etruria ipſa, & ex ditione Veneta nobiles & principes viri Bononiam convenerant. Inter externos, qui tunc Bononiam ad illos ludos venerant, reperta eſt nobiliſſima femina Britanna, *Edvvilia* adpellata, quae in ipſa domo hoſpitabatur, ubi *Battaglinus* degebat, cum eaque *Saxo* quidam erat vir in Muſica verſatiſſimus. Cum ipſa no-

nobiliſſima femina, & cum Saxone eius familiari, Muſicae cauſſa intimam amicitiam iniit *Battaglinus*, & una cum illis tum in audiendo dramate, tum in cithara pulſanda erat ſemper, ut noctes integras inſomnis duceret, quo factum eſt, ut coryza, & raucedo incrementum caperet, & in veram tabem ſenſim mutaretur, ut *Plancus* ipſi praedixerat circa dimidium aeſtatis, quo tempore tunc ille quoque per aliquot dies laxandi animi cauſſa Bononiam convenerat ad ſolennes illos theatrales ludos, ad quos, ut dixi, univerſa pene Italia confluxerat. Autumni initio Ariminum rediit *Battaglinus* tabe laborans, cui *Plancus* medicas manus admovit, eique ſuadebat, ut iter longum ſubſciperet, & Neapolim, vel Piſas, peteret, ubi mitiorem aerem reſpiraret, & ad tabem depellendam aptiorem. Id ſubſcipere *Battaglinus* in animo habebat, ſed prius vendere bona omnia volebat, quae Arimini poſſidebat, & pecuniam Romae apud publicos Argentarios deponere, ut inde ex eius maiori uſura liceret Romae, vel Neapoli, vel in alia celebriori urbe ſplendide morari, nihili inde pendens, ſi heredibus ſuis quidquam ex aſſe non ſupereſſet. Unicam enim ſororem habebat, quam tunc oderat odio pene Vatiniano. Pharmacis, & optima diaeta factum eſt ut morbus perquam lenitus ei ſit, ut amici penitus convaluiſſe opinarentur, eique de recuperata ſalute gratularentur; ſed circa veris initium anni ſequentis, quum multum nutanti valetudine ſuae fideret, & ut amico ſuo *Gervaſonio* morem gereret, qui Graece non multum ſcie-

ſciebat, quum multum ſtudii, & temporis impendiſſet in Numiſmatis Graecis Muſei *Gervaſonii* diſponendis, & nominibus aptis inſigniendis, tuſſim ferinam iterum contraxit, qua in dies increbreſcente, in veram tabem iterum praecipitavit, cui paullo poſt alvi laxitas, & ſudores, ſe adiunxerunt, quae ut depelleret ad Nucerinas aquas media aeſtate ſecedere decrevit, quibus decem annis abhinc alio morbo, ut vidimus, ante convaluerat. Quare ſcripto, & obſignato teſtamento Nuceriam petiit, ſed ibi aquas ſumere noluit; & contra illas aquas obloqui coepit, quod cerneret ea loca, ubi aquae illae decurrunt, ſedimento terreſtri duriſſimo, & pene marmoreo, quod tartarum vocant, obduci. Inſalubreis propterea credebat aquas illas, & Divo *Rainaldo* Nuceriae Protectori tribuebat, quod homines tanta opinione erga Nucerinas aquas ducerentur, ut Nuceria in aliquo ſplendore maneret. Conſuetudine potius ibi aliquorum amicorum, qui illum conveniebant, eſt oblectatus; atque inde Ariminum autumnali tempore reverſus eſt. Cum adverſa valetudine per totum autumnum conflictatus eſt, ſemper dictitans Neapolim eſſe quam primum iturum; verum initio anni MDCCXXXV. quum morbus in dies ingraveſceret, amici eius quam plures ſuadere coeperunt, ut in amicitiam cum ſorore rediret, & praeſertim *Barptolemaeus Bonzettus* I. C. cognatione ei propinquus, qui licet una cum fratre *Livio* altero I. C. Romano ex aſſe ſcriptus eſſet heres, excluſa *Magdalena* ſorore, tamen honeſtate motus ipſum in primis ſorori reconciliare ſtudet,

&

& pridie quam moreretur *Battaglinus*, ipſum una cum ſorore in domum ſuam adducit, ibique ex animo ſorori *Battaglinus* eſt reconciliatus. Laetus inde diſcedens *Battaglinus* curru urbem circuire, & varios amicos inviſere, *Plancum* cum primis; quaſi ab amicis commeatu accepto, & dimiſſus, in aliam urbem patriamque properaret. Noctu eius diei, quum ſpirandi difficultate premeretur, & morti proximum ſe ſentiret; per codicillos, quos propria manu ſubſcripſit; dona varia amicis, ſorori, & leviro legavit, &, ut reconciliatio ex animo cum ſorore manifeſta pateret, iuſſit in ipſis codicillis, & poſt *Bonzettios* fratres, ſoror heres eſſet ex aſſe; deinde advocato per *Cellam Plmco*, quo ut Medico & amico utebatur familiariſſime, ut vellet domi ſuae manere rogavit uſque dum moreretur. Adnuit *Plancus*, qui etiam ut morem ei gereret varios Graecos Auctores, qui de tabe ſcripſerant, *Hippocratem* praeſertim, legendo animum eius recreabat. Tamdem diluculo a. d. XIII. Kal. Februarias pie per Flaminem omnibus Eccleſiae Catholicae Sacramentis expiatus animam efflavit. Hoc pacto vivere deſiit *Andreas Battaglinus* poſtea quam annis XXXI. circiter vixiſſet. Vir erat corporis habitu gracili, ſtatura procera, voce gravi ſed tarda, naſo prominente, colloque oblongo, & univerſa facie *M. Tullium Ciceronem* referebat. Modeſtus erat eloquio, tamen licet tarde loqueretur acutas ſententias identidem non ſine ſalibus proferebat vir acerrimi iudicii, & tenaciſſimae memoriae. Propter loquendi libertatem *Livius Bonzettus* Patricius Ariminenſis

&

& I. C. Romanus eum frequenter reprehendebat; at ipſe iuſtitiae amator aequi bonique faciebat propinqui ſui reprehenſiones admonitionesſque, ut eum una cum fratre heredem ex aſſe omnium bonorum, quoad viverent, reliquerit. Non ſemel ab eo fuit reprehenſus, quod ſcripta patrui libere, & publice proſcinderet, quia, ut vidimus in eius vita, licet homo non ubique limatus in ſcribendo fuerit, tamen ſubſpiciendus erat, praeſertim ſi ſtudiorum, temporum, & conditionis, ſuae ratio habeatur; ſed *Andreas* niſi exquiſitiſſime elaborata non probabat. Mane poſt eius mortem lectae ſunt tabulae teſtamenti, & codicillorum eius, quibus adparuit poſt mortem animus eius munificus & liberalis: omnibus enim fere amicis ſuis, qui vel litterati, vel probatiſſimi, homines erant, aliquid reliquit. *Cellae* familiari ſuo univerſas eius veſteis reliquit, & viginti quatuor mille HS. numum; *Gervaſonio* amico ſuo quattuor mille HS. numum. *Planco* quinque mille & CC. HS. numum, & libros Philoſophicos, Graecos, & huiuſmodi eruditionis; quod legatum in hac parte interpretatione opus habuit. *Ioanni Paullo Iuvenardo, Planci* diſcipulo, viro Graece & Latine docto, & in *Archangeliano* publico Philoſophiae profeſſore Hiſtoriam Byzantinam legavit. Sic *Ferdinando Antonio Ghedino* Bononienſi duo mille HS. nummum, ſic aliis res alias munifice legavit. Veſpere huius diei per *Plancum* una cum *Laurentio Sanctino* Medicinae doctore, & eius diſcipulo, diſſectum fuit *Andreae* cadaver, & ſiniſter lobus pulmonum durus inventus

 eſt,

eſt, & arcte coſtis, diaphragmati, mediaſtino, pericardio haerere; & ita his partibus haerebat, ut naturaliter cum his connexus videretur. Doluerat enim per univerſum morbi tempus latere ſiniſtro, & pulſatio magna inter coſtas adparebat, ut ibi vel ſuppurationem, vel in praecordiis vitium, latere ſignificaret. Per univerſum hunc ſiniſtrum lobum corpora quaedam cernebantur alba, & minuta, quae oryzae granum referebant. Inter haec reperiebatur identidem tuberculum aliquod ciceris magnitudine, quod vel pus, vel materiam, ſteatomatis, & meliceridis genere, continebat. Lobus dexter pulmonum ſanus erat, ſed non omnino immunis a corporibus illis albis, & minutis, oryzae granum referentibus, quae corpora in utroque lobo dura erant, & digitis preſſa, vel acu puncta, nihil liquoris emittebant. Quare huius aegri tabes ex *Planci* ſententia ſcirrhoſa dici poterat, vel ſtrumoſa, ex ſolius pulmonis vitio; praeſertim quum eius ſiniſter pulmonis lobus ita durus eſſet, ut ſectione ſuberis corticem referret. At ſtrumas nullas in aliis ſui corporis glandulis umquam eſt paſſus, neque ſcabie umquam laboravit, quae omnia a *Mortono*, qui egregium tractatum *De Phthiſi* edidit, pro ſignis ponuntur phthiſeos ſcirrhoſae, ſtrumoſaeque. Quare ex *Planci* ſententia phthiſis peculiaris ſolius pulmonis ſcrophuloſa, ſeu ſcirrhoſa, eſt adpellanda, quae ei fortaſſe hereditaria fuit. Empyematis vero & pulſationis ſigna in aegri pectore, dum viveret, adparebant, quod lobus ſiniſter pulmonis nimis arcte ad arteriam aortam

tam, ad coſtas, & ad ceteras parteis, adhaerebat. Elatus eſt ſequenti die ſolenni funere; dum efferretur magna ventorum & pluviae oborta eſt tempeſtas; quod vulgus interpretatum eſt, id a cacodaemone excitatum fuiſſe rabie quadam, quod eum, quem ſuum eſſe credebat, ſancte cum ſorore reconciliatum, repente amiſerit, & ad ſuperos anima eius feliciter convolaverit. *Plancus* amici defuncti memor titulum marmoreo lapide fecit in Servorum templo conlocandum, ubi *Battaglini* corpus fuerat ſepultum, quem heic in fine ponimus. Quum *Plancus* titulum hunc cogitaret ſcripſit *Ghedino*, ut pro ſua amicitia cum *Battaglino*, & pro ſua in lingua Latina peritia ſenariolos quoſdam componere vellet, quos ſepulcrali titulo adiungere poſſet. At *Ghedinus Planco* reſcripſit, ſibi ſenariolos faciendi otium non eveniſſe; ſed eclogam conſcripſiſſe in *Battaglini* laudem, quam *Planco* miſit, eamque heic adponimus; in qua grata *Battaglini* recordatio eſt, & ſimul *Planci* honorifica mentio.

BATTAGLINVS.

Ecloga.

Qui nos, heu fato nimium praereptus acerbo!
Dilexti in vita, noſtrique in morte fuiſti,
Battagline, memor ſic, ut ſim pignus amoris
Iuſſus habere tui: tu a me nunc accipe contra
Quod poſſum, & iuvat, agreſtique in carmine gratum
Hoc, quamquam ſerum, poſt funera munus habeto.

E latiis Muſae lucis paulliſper adeſte
Dum fleo, debuerant, iuvenem, cui parcere: verum
Quid parcant? agitant ſemper crudelia Parcae,
Flete una mecum; non me magis aequus amavit
Quam vos; vos, ecquis non credat? amaſtis & illum.
Credo equidem, & ſcio, ſed miſero quid profuit illi
Veſter amor? veſtro ſi eſt dictus amore periſſe?
Ah! quid ſum paſſus me abs te divellier? ah quid,
Dum te conferres patrii Rubiconis ad undas,
Non & te ipſe ſequi? potuique ad flumina Rheni
Felſinei patria lentus conſidere ripa?
Forſitan egiſſet noſtri praeſentia, ut ille,
Ille ferus cupidae mentis miteſceret ardor,
Adforet uſque modus ſtudiis, Muſiſque ſequendis.
Forſitan, & quis ſcit? num fors diverſa tuliſſet,
Numque etiam longos Lacheſis tibi necteret annos?
Sin Dis ipſa palus numen iurata tremendum
Te vitamque tuam iam tum depoſceret, aſpra
Nec Divum ulli, hominumque, datum eſt abrumpere fata.

Fal-

Fallor? an e noſtris migraſſes laetior ulnis?
Hoc quiſſem certe, morienti dicere verba,
Et ſuprema tamen cineri perſolvere dona;
In quo ſolamen, quamvis non dulce, doloris
Quis neget eſſe aliquod? Dolor hoc ſolamine noſter,
Aut alio quocumque caret, ſemperque carebit.
Hei mihi! nam fruſtra reſpondet ſilva canenti,
Nec potis eſt ullum nobis adferre levamen.
Quod minus ah! noſtro, quam vellem, tacta dolore eſt.
Illum etenim nondum poterant cognoſcere ſilvae,
Qui gaudens cantu, ſilvis nondum ipſe canebat;
Ipſe tamen dignus, ſi eſſent certamina cantus,
Iudicium qui Thyrſim inter, Corydonaque ferret,
Quoque haud Pan, ſed victor abiſſet, iudice Phoebo.
Quid ceſſas Triſelge? tuae novere Camoenae,
Novit & ille tuas, illum bene tu quoque noras,
Et caſu indoluiſſe ſuo, quam credere par eſt?
Quin ſocias iungis Muſas, ſociumque dolorem?
Sic, dum grande canis, ſemper tibi plena theatra
Plaudant; dum ſilvas, reſponſent omnia ſilvae.
Non fuit interdum vel Dis doluiſſe pudori

Ereptos homines; atque hunc, ſi credimus, ipſum,
Hunc viſae lugere abſtractis fronte corollis
Naiades, paſſimque comis errare ſolutis,
Et ſit, qui gemitus ferat exaudiſſe marinos.
Credita, ſed generis noſtri planxere puellae.
O miſerae! veſtro ſi quae illum incendere amore
Speraſtis; non ille facem, non Cypridis arcum,
Senſerat; atque utinam ſenſiſſet! Saucius uni
Te, & dixiſſet, amo: tuus en ſum, ſis mea: docti
Arcades & feſtos cantaſſent inde hymenaeos.
Scilicet hinc unus poſſet ſupereſſe, vel alter,
Parvulus, in molli iam nunc qui luderet herba,
Et ſpes, & miſeri coleret ſolatia damni.
Vnicus ecce modo ille ſua de ſtirpe ſuperſtes
Vltimus interiit, iacet ab radicibus arbos.
Arimino illuſtres en exceſſere coacti
Aeternum, ac terris longaeva ſede Penates!
Eoqua meo Planco interea mens? num ipſe manebit?
Non, ſiquidem ſapit, & multum ſapit ille, manebit.
Te licet adſtrictum teneant bene multa, quibuſque
Exime te vinclis, infauſtam age deſere terram,
Deſere Plance; tibi cave, ſit quod patria tanti,
Divinas malis triviſſe ut Paeonis artes.
Quandoquidem veſtris nulla eſt in montibus herba

Vti-

Vtilis. Anne ſecus poſſes non, Plance, mederi
Tam caro capiti? Concede huc ocyus, hic te
Plurimum amant Dryades; Fauni, Satyrique verentur.
Et puto te diros manes placaſſe, ſepulcrum
Et ſtraviſſe illi, & titulum feciſſe ſepulcro.
Id ſatis. officiis iſthic quid reſtat amici?
Hic vel fleſſe potes, ſatiuſque dolebimus una
Lugentes ambo; tum dicere denique poſſim:
Diſcite, vos ſilvae iam, & vos albentia gypſo
Saxa procul, noſtrum melius iam diſcite luctum.
Hactenus agreſtem iuvet haec ceciniſſe Poetam,
Battagline, tuis dum flens ſua dona reponit
Tempore, quo quantae poterant avertere curae
Paſtorem! nemora ac prata, & circum undique latos
Quum miſere campos torrens abſorbeat unda,
Turbidus & patrio minitetur Rhenus agello.
Iam nox adventare parat: dat fiſtula ſignum:
Ocyus & pecudes ad ſepta, ad ſepta capellae.

Heic adiungimus etiam titulum, ſeu marmoreum epitaphium, quod *Plancus* incidi curavit, & in templo Servorum Arimini conlocavit.

D. O. M.
ANDREAE. BATTAGLINO. PATRICIO.
ARIMIN.
FAMILIAE. SVAE. SVPREMO. VIXIT.
AN. XXX. MENS. X. DIES XVI.

OBIT . A . D . XIII . KAL . FEBRVAR .
ANNO . A . CHRISTI . NATIVITATE .
MDCCXXXV .
IANVS . PLANCVS . MEDICVS . AMICO
ET . DE . SE . BENE . MERIT .
CONTRA . VOTVM . SVVM . POSVIT .
TV . CITO . AMICVM . SI . RAPVIT .
MORS . INVIDA . SANCTAE .
STA . LAPIS . AETERNVM .
TESTIS . AMICITIAE .

Catalogum operum editorum *Andreae Battaglini* non damus, quum ipſe publice nihil fere ediderit, ſi decretum illud Ariminenſium excipiamus, quod mole licet parvum, inſtar tamen magni voluminis eſſe poterit, quo ingenium *Battaglini*, & in Latino ſermone peritia perſpiciatur. Scripta tamen ingentia reliquit, ſeu adverſaria, praeter adnotationes perpetuas, & fere marginaleis, in *Plautum*, in *Terentium*, in *M. Tullium Ciceronem*, in *Titum Livium*, in *Salluſtium*, & in alios probatos Latinos Auctores. Verum non ſolum laudandi ſunt ii homines, & eorum memoria recolenda, qui publice libros edunt; ſed ii etiam, qui licet libros non edant, tamen ſtudio & moribus ita ſe componunt, ut alios docere, & Reipublicae prodeſſe poſſint. Ita *Socrates* librum nullum edidit; tamen dictis, & factis, memorabilibus ita ſe comparavit, ut perpetuo a *Platone*, a *Xenophonte*, & ab univerſis fere antiquis celebretur, & in eorum libris *Socratis* memoria recolatur.

CA-

CAROLVS FELIX LAMIVS

Io. Lamio Auctore.

VIdere mihi videor quoſdam me iam ſugillantes, quod, quum patris mei *Benedicti* vitam ſcripſerim & publici iuris fecerim, nunc ad patrui *Caroli Felicis* elogium contexendum adgrediar, quaſi ex mea domo, tamquam ex equo Troiano, multi homines eruditi prodierint; atque ex obſcura ac ruſticana Sanctacrucenſium plebe non unus aut alter tantum, ſed multo plures animi cultu, & ingenii elegantia, praeſtiterint: & iam non opicorum homuncionum turbam, ſed litteratorum virorum, ſi Deo placet, multitudinem, ignobile oppidum inhabitare credendum ſit. Sed obſtrepant, ut lubet, ſuſurrones mirioneſque iſti, & Sanctae Crucis oppidum inluſtre demonſtrare mihi, ſi vacaret, in promtu eſſet; & domi meae Muſas & litteras diverſaras eſſe, de plano, & ſine adrogantiae nota, evincere poſſem. At res evincat ipſa, & patrui dilectiſſimi memoriam litteris commendatam poſteritati tranſmittam. *Carolus Felix Caroli F. Laurentii N. Lamius*, *Benedicti*, cuius elogium alibi dedi, frater, in Sancta Cruce, Etruriae oppido, anno MDCLXVII. Kal. Novemb. natus eſt; & luſtralibus ſacri baptiſmi aquis tinctus *Hippolyti* nomen accepit. Hic, quum Latinis litteris, *Michaele Angelo Durantio* praeceptore, operam dediſſet, iam adoleſcens, ingenio vivido ac perſpicaci probatus, Franciſcanae Minorum, qui ab ob-

ſer-

ſervantia denominantur, familiae nomen dare animum induxit, exemplis praecipue motus duorum popularium ſuorum, qui in eo ordine monachatum non ſine laude profitebantur. Hi *Bonaventura Minius*, & *Ioannes Maria Magiſtrinius*, fuerunt; ille ingenii feſtivitate, facundia, & doctrina, ut ea tempora ferebant, *Antoniique Magliabechii*, & *Laurentii Corſinii*, deinde Cardinalis, & Pontificis Maximi *Clementis XII.* nomine, amicitia cenſendus; hic ſcientia, & muneribus in ſuo ordine obitis, ac principum virorum familiaritate, quum & *Franciſco Mariae Mediceo* Cardinali, ac deinde *Eleonorae Gonzagae* eius uxori, a confeſſionibus fuerit, ac exitu tamdem infelici & deplorabili, non ignobilis. Annum agebat *Hippolytus* circiter duodeviceſimum, quum ſacrum cucullum in Coenobio *Sancti Romani*, M. P. a Sancta Cruce ad occidentem diſtante, induit; & nomen *Hippolyti*, *Caroli Felicis* nomine, de more mutavit. Probationis tempore ibidem exacto, quum eius ingenii praeſtantia cognita eſſet, & Peripateticae Philoſophiae ſub monacho doctore operam iam navaviſſet, Romam miſſus eſt, ut in Arae-Coeli Coenobio in rerum divinarum cognitionem incumberet, & Theologicas tractationes, iuxta *Ioannis Dunſii Scoti*, in cuius magiſtri verba Franciſcani cucullati plerique omnes iurare conſueverunt, placita, penitus animo comprehenderet. Heic duos egregios Theologiae profeſſores opportune nactus eſt, *Laurentium Cozzam*, poſtea S. R. E. Cardinalem ampliſſimum; & *Auguſtinum Matthaeuccium* Lucenſem; a quibus ob mentis perſpicientiam, &

do-

docilitatem, atque in legendo ſcribendoque ſedulitatem incredibilem, ſummo opere dilectus eſt. Annus iam MDCXCI. vertebat, quum *Carolus Felix* ſtudiorum ſuorum, & comparatae ſcientiae ſpecimen Romae dare conſtituit; quare Theſes quaſdam Theologicas de Trinitate, de Dei viſione, de Iuſtificatione, de Incarnatione, de Baptiſmo, & de Euchariſtia, publice propugnandas propoſuit; & adſiſtente *Auguſtino Matthaeuccio* laudato, ſub auſpiciis *Antonii Abintroduco* Commiſſarii, ut vocant, generalis, obiectiones omnes facili ac docta reſponſione diſſolvit, & adprobationem & plauſum ab omnibus iure optimo retulit. Hinc dignus habitus eſt, qui Venetias ad Philoſophiam profitendam mitteretur; ubi, quum per unum, aut alterum annum Scotiſticae Philoſophiae praecepta diſcipulis, quos inter & optimatum quorumdam Venetorum filios habuit, diligenter laudateque tradidiſſet, anno MDCXCIII. in Tuſciam reverſus eſt, unde non multo poſt iterum diſceſſit, ut in Hiſpaniam proficiſceretur. Quum enim generalia Franciſcani ordinis comitia Victoriae, Hiſpaniae in Cantabria urbe, habenda eſſent, iiſdemque intereſſe deberet *Io. Maria Magiſtrinius*, qui Romae Definitorem, ut vocant, generalem agebat, ſecum ille *Lamium* ducere voluit, ut pro Tuſciae provincia Minoritica in comitiis illis Theſes Theologicas de more propugnaret; eius enim eruditionem & doctrinam *Magiſtrinius* noverat, & ſubſpiciebat. Comitiis illis in Hiſpania anno MDCXCIV. celebratis, *Carolus Felix*, quum ſtatim a novo Praeſide generali Theologiae in Florentino Omnium

San-

Sanctorum Coenobio profeſſor renunciatus fuiſſe, in Gallias una cum *Magiſtrinio* conceſſit, & varias regni illius urbes provinciaſque peragravit, ac Lutetiae Pariſiorum aliquandiu ſubſtitit. Haud inutile fuit illud iter *Lamio*, qui, quum ſterilibus tantum Scholaſticae Philoſophiae tricis animum in Italia imbuiſſet, Gallias petens, ubi nova Philoſophiae decreta celebrabantur, novarum Democriteorum, & Carteſianorum, opinionum aliquid delibavit, cum viris doctis, & praecipue cum *Duhamelio*, congreſſus; multis inſuper ſacrarum rerum cognitionibus animum locupletavit, & libros nonnullos genio & methodo meliore concinnatos perlegit, ſecumque attulit; atque ex iis inter alia ſacram Rhetoricen, ob quam & plurimi deinde factus eſt, hauſit; quum non Gallorum ſententias tantum, ſed eorum etiam linguam, penitus perfecteque didiciſſet. In Etruriam reverſus Florentiae in Coenobio Omnium Sanctorum Theologiam per duodecim annorum ſpatium docuit; quibus elapſis, profeſſor emeritus declaratus eſt; atque inde liberius pacatiuſque ſacris orationibus ſcribendis animum adplicuit, atque eloquentiae laudem quaeſivit. Dum ille Theologiam docebat, duo alii *Caroli Felicis* conterranei Franciſcanum habitum induerunt, *Ioannes Antonius Lapius*, qui eius diſcipulus fuit, & ab eo, praeter alias doctrinas, Gallicae etiam linguae peritia inſtructus eſt; & *Laurentius Maria Durantius*, qui *Lamii* ſuaſu Franciſcano ordini nomen dedit. Horum quidem lubenter mentionem feci, quia & viri docti ſunt, & dignitatibus in ſua

Mi-

Minorum familia claruerunt: primus enim & Miniſter Tuſciae provincialis, ac deinde, quum in Hiſpaniam, ut Miniſtro Generali ab epiſtulis eſſet, conceſſiſſet, Commiſſarius generalis renunciatus eſt; alter vero & Commiſſario generali Romae ab epiſtulis fuit, & Albaniae primum, Tuſciae vero deinde, Praeſes provincialis datus eſt. Sed & *Thomas Felix Dantius* a Caſtro Franco., *Lamio* iam doctrinas profitente, in Franciſcanum ordinem cooptatus eſt, *Lamiique* amiciſſimus fuit, qui ſcientia, eloquentia, & quod inter eiuſmodi monachos rariſſimum eſt, linguae Graecae cognitione praeſtat, atque eminet. Inter diſcipulos, dum Florentiae *Carolus Felix* morabatur, duos etiam clariſſimos Principes habuit, Philoſophiamque docuit, *Bartholemaeum*, & *Nerium*, *Corſinios*, unum modo excellentiſſimum Siciliae Proregem; alterum vero S. R. Eccleſiae Cardinalem eminentiſſimum. Sed iam in diverſis urbibus ſacras conciones habendo diſerti oratoris nomen opinionemque collegerat, quum in variis Etruriae Coenobiis moratus, & in *Sancti Romani*, & *Deiparae Virginis* Ficicli praecipue, alios habuit auditores, inter quos, quum in Aſceterio *Sancti Romani* ageret, fuit *Iacobus Lamius*, Advocatus Romanus perceleber, & nunc Praeſul reverendiſſimus; & ego ipſe, qui huius mei patrui vitam litterarum monumentis commendo, quique ad eum, dum Ficicli eſſet, Logicen diſcendi gratia quotidie adventabam. Nec putandum eſt, quum *Carolus Felix* poſt ſuum e Gallia reditum

tum Philoſophiam doceret, laciniosas implexaſque non minus, quam inutiles & ridicularias quaeſtiones, quae tum in cucullatorum, & Minoritarum praecipue, ſcholis agitabantur, ieiune putideque tradidiſſe; ſed omnium primus apud nos in ſuo ordine hiſtoriam Philoſophicam exponere, & Scholaſticorum, recentiorumque Philoſophorum, placita inter ſe comparare, & de iis idonea diſputatione diſſerere, effractis praeiudicatarum opinionum repagulis, auſus eſt, inſperata eruditione auditorum animos imbuens. Teſtis quidem ipſe eſſe poſſum, qui ab eo libellos varios dono accepi, quibus nova philoſophandi via ac ratio tradebatur: interque alios *Rohaultii* Phyſicam, quae plurimi per ea tempora habita eſt, utpote a magni nominis Carteſiano lucubrata & expoſita. Quis autem a Minorita Tuſco tantum unquam illis temporibus ſperaviſſet? Non tam vero ob ſcientiae opinionem, quam ob morum probitatem, & animi ſimplicitatem ſinceram, omnium amorem meruerat, & doctorum hominum potiſſimum; inſtarque omnium eſſe poſſunt *Guido Grandius* Abbas Camaldulenſis, Mathematices in Piſano Atheneo profeſſor celebratiſſimus; & huius antagoniſtes *Alexander Marchettius*, eiuſdem profeſſionis vir famigeratus, & clarus. Moribus igitur ita compoſitis, & virtute conſtanti fuit, ut formati ad virtutem animi illuſtria exempla praebuerit. Nam quum cognatum quemdam iuvenem, matri morem minus gerentem, & deſpicientem videret, lenibus eum verbis increpare non deſiſtebat, illud ſaepius obgerens ſapientiſſimi Regum effa-

tum

tum: *Stultus homo deſpicit matrem ſuam;* matrem autem eius adflictam ad huiuſmodi moleſtias patienter, & aequo animo ferendas, Chriſtiana caritate hortabatur. Quum vero *Ioannes Maria Magiſtrinius*, Commiſſarius Curiae, Romae monachum quemdam Lucenſem carceri mancipandum curaviſſet, ideoque aliorum monachorum indignationem & odium incurriſſet, *Lamius* beneficia a *Magiſtrinio* accepta memori animo volutans, numquam ab eius amicitia deſcivit, ſed conſtans & gratus uſque permanſit; etſi contraria pars provincialem ordinis praefecturam ei offerret, ſi ab ſe ſtare voluiſſet. Inſuper, quum idem *Magiſtrinius* gradu tandem, & capite, motus eſſet, atque ob animi perturbationem amicos ipſos fidos odiſſet, atque abhorreret: *Lamius* iniuria, convicioque nullo, ab eius amore dimoveri potuit, atque ipſi amicus & benevolus, quoad vixit, perſtitit; non tam gratiam benefactori ſuo babens, quam referens. Vita autem functo in Coenobio *Sancti Romani Magiſtrinio*, non multum *Lamius* inde ſuam vitam prorogavit, licet firma & ſecunda alias corporis valetudine gauderet. Quum enim Monachus quidam facinoroſus, & ſceleribus admiſſis infamis (homo Sanctaecrucenſis erat univerſis notiſſimus, quem conſanguinei monachicum cucullum induere vi adegiſſe perhibebantur) ad Ficiclenſe Monaſterium, quod electa *Lamii* ſedes erat, inhabitandum miſſus fuiſſet, ut erat is diſciplinae regularis impatiens, & in officio contineri detrectans, *Lamii* virtutem, & ſalutaria monita indignatus, veneficio eum de-

me-

medio tollere voluiſſe a quibuſdam creditus eſt; & is quidem erat, qui facile ſuis moribus ſubſpicioni locum daret, magno exemplo omnibus futurus, ut a liberis cognatiſque in Monaſteriorum ergaſtula vi metuque detrudendis, ſub iuſto Numine, & tantae immanitatis ultore, deterreantur. Hic quidem ſcelerum ſuorum tandem poenas dedit, & perpetuo carcere damnatus eſt, ſed non propterea *Lamius* lenta morte ſe confici minus ſentiebat; quare Florentiam contendit, ut in hac civitate egregios conſuleret Medicos, qui ſuo morbo opportuna remedia adhiberent; ſed vis morbi praevaluit, & anno MDCCXX. vivere deſiit, atque in Omnium Sanctorum Eccleſia ſepultus eſt. Quum in Sanctacrucenſi Eccleſia iuſta rite eius manibus perſolverentur, a diverſis conterraneis, epigrammatis carminibuſque variis ſcriptis, eius memoria celebrata eſt; ipſe autem inter alia epitaphium hocce compoſui:

Notitia Plato coeleſtum, Cato moribus, ore
Tullius, ingenio doctus Ariſtoteles,
Virtutum, quae ſparſae hominum genus omne bearent,
Qui iacet hic habuit Carolus unus opes.

Nulla alia opera MSS. reliquit, niſi ſacras conciones; praeter Theſes quaſdam Theologicas, nihil typis deſcriptum in vulgus prodidit.

10.

IO. BAPTISTA FAGIOLIVS.

Auctore Andrea Petro Giulianellio.

INter *Memorabilia Italorum eruditione praeſtantium*, quorum imagines cum animi tum corporis, non ſine ingenii, gratique animi, laude poſteris relinquendas curavit clariſſimus Βιογράφος brevibus hiſce ſingulorum menſium chartis, at *doctis Iupiter & laborioſis*, nonnulla etiam arbitror recenſenda, meritiſſimeque poſteritati commendanda, de *Ioanne Baptiſta Fagiolio*, cive & Poeta Florentino, qui praeter alia ingenii animique ornamenta, feſtivo iocoſae Poeſeos genere, effingendiſque ad veterum normam comoediis, omnium iudicio egregius plane vir, noſtraeque aetati admirandus, evaſit. *Fagioliam* familiam plurimis iis urbis noſtrae generis claritate conſpicuis, quas Exinea, vetus ac celebre oppidum ſeptimo ab vrbe noſtra lapide diſtans, olim cenſuit, adiungere non dubitavit *Vol. V. Hiſt. ſuae nobilium Etruriae Vmbriaeque familiarum Eugenius Gamurrinius*. Vtrum vero ex huiuſmodi familia, quae ſummos Reipublicae Florentinae temporibus honores ſcribitur adepta, genus ſuum repetere poſſit *Io. Baptiſta* noſter; an inde aliquis e generoſa ſtirpe minor deductus ramulus aliam, ut ſaepe fit, humiliorem in illo oppido condiderit, Antiquariorum iudicium eſto. Enimvero ipſe ad uxorem ſcribens cecinit, ſe non pauperum eſſe ſanguinem: poſſe quidem, ſi ita velit, viginti & amplius e familia ſua recenſere, qui Florentinae Reipublicae honores, & munera, conſequuti ſint. Vt vero res ſeſe habeat, ex publicis ſaltem ta-

tabulis aperte patet ex eodem oppido *Auguſtinum Fagiolum* huius noſtri proavum Florentiam commigraſſe, atque A. S. MDCXV. Florentina civitate fuiſſe donatum; exinde vero civilem dignitatem genti propriam conſtat honeſtatemque fuiſſe perpetuam. Nemo tamen in ea inluſtrior & honoratior *Ioanne Baptiſta* fuit, quem VIII. Kalendas Iunias, hora diei undecima cum dimidio & amplius, A. S. MDCLX. ſuſceperunt *Antonius Maria Fagiolius*, eiuſque uxor *Maria Magdalene Libanoria*. Familia *Libanoriorum*, quae inter Ferrarienſes nobiliſſimas recenſetur, per *Hippolytum* quemdam *Libanorium*, *Ioannis* filium, fortaſſis Florentiam translata eſt. Id certe conjicio ex codice chartaceo ephemeridum huius *Hippolyti*, vulgo *Libro di ricordi*, qui in privata codicum MSS. Bibliotheca ampliſſimi Marchionis *Gabrielis Riccardii*, Metropolitanae Florentinae Hypodecani, adſervatur: in quo Eidibus Maiis MDCVII. ipſemet *Hippolytus* adnotat, ſe Florentiae, ſub *Ioanne Banchellio*, mercaturam coepiſſe facere, & ex eius lucro miſiſſe certam quotannis pecuniae ſummam ad *Ioannem* patrem ſuum, qui forte avitum Ferrariae domicilium habebat. Hiſce etiam de materni ſanguinis origine huius noſtri obiter delibatis, dicam ideo fuiſſe ei nomen Divi *Ioannis Baptiſtae* Florentinorum Patroni inditum a viro Cl. *Antonio Rubeo*, qui eum ad luſtrales Baptiſmatis undas extulit; quia, ut ſuperius innui, natus eſt eo ipſo die, quo huius Divi mirabilem ortum celebrat Eccleſia. A parentibus ſe fuiſſe bene ac pudice eductum ſaepiſſime teſtatus eſt; quum adhuc puerum mirabili fuiſſe ingenii acie celeritateque praeditum

plu-

plura vividae mentis ex oculis vultuque quodammodo erumpentia ſigna declararent. A primis enim pueritiae temporibus vigor ille vere igneus, qui ad octogeſimum aetatis ſuae annum ſupra tertium in eo ſemper emicuit, ad incredibiles illos ſummorum Poetarum motus praeludere viſus eſt. Vt primum igitur ex pueris exceſſit ad Florentinum Societatis Ieſu collegium miſſus eſt, in quo pietato ac literis puerorum ingenia inſimul ali excolique commodius poſſe fatentur omnes. Variis pro conſueta illa claſſium diverſitate atque ordine uſus eſt Praeceptoribus *Vidonio* nimirum, *Naſellio*, & *Baldigianio*, Soc. Ieſu Sacerdotibus, ut in trigeſimo tertio Partis poſtumae poemate ad virum Cl. *Benedictum Breſcianinum* Palatinae Bibliothecae Praefectum ſcribit. Sub *Vincentio* vero *Glaria*, celeberrimo illorum temporum Rhetore, qui in Florentino collegio XXX. annos Rhetoricen profeſſus eſt, propediem erat eloquentiae campos emenſurus, quum aetate adhuc impuberi longe ceteris omnibus ſcholaſticis doctior, & adfluenti quadam verborum copia, atque mirabili ſcientiarum varietate locupletior feliciorque ſubſpiceretur, in iis potiſſimum declamationibus, fierique conſuetis exercitationibus, quibus ad humanitatem iuventus in palaeſtris informatur. Verum duodennis, patre amiſſo, non literarum amplius & ſcientiarum curſum proſequi, quo ſuapte natura ferebatur, ſed lucroſum potius aliquod vitae genus amplecti, matris orbitate, & domeſtica rerum inopia, cogente iuſſus eſt. Quadrageſimum etenim annum ſupra quintum agens pater eius, pridie Idus Ianua-

rias A. MDCLXXII. mortuus eſt, atque in Laurentiano tumulo *Allegriae* familiae, *Bartholomoeo Allegrio* amico ſuo iubente, conditus eſt. Hac certe morte nihil gravius, nihil acerbius, huic noſtro poterat evenire. Niſi enim in ipſa vitae maturitate mors eum filio praeripuiſſet, fuiſſet procul dubio a patre amantiſſimo aeque ac cultiſſimo, uti decebat, inſtitutus. Pater enim eius cum *Ioannis Caroli* S. R. E. Cardinalis *Medicei* gratia fruebatur, tum apud plurimos Florentiae, Etruriae, Italiaeque, proceres & mercatores adeo nomine, fortunis, & negotiatione pollebat, ut & in Liburnenſi portu cum *Vanderbratteinio*, & Genuae cum *Carolo Poltrio* Florentino, in exercenda mercatura res ſuas egerit. Italiam etiam, & Gallias, luſtravit, & comite *Franciſco Pardenio*, Anglo Equite Baronetto, ut vocant, Britanniam contendit; fuitque Londini in funeſto illo contagio A. MDCXV. quo, ut ipſe narrat in deſcriptione ſuorum itinerum, centum millia hominum & amplius, perierunt; & ſequenti anno, quo tota pene Londinenſis civitas miſerabili illo incendio abſumta eſt. Dolendum itaque, quod quum tot tantiſque naturae & fortunae muneribus inſtructus ad literas, & graviora ſtudia, natus omnino videretur; capacique animo omnia complectens, facile poſſet ſcientiis & artibus, Florentiae, omnium laudatarum rerum parente & altrice, excellere, duobus ab obitu patris elapſis annis, anno nimirum MDCLXXIV. debuerit Muſis ſuis vale dicere, & cauſſa victus quaeritandi, primo ſub *Franciſco Maria Poggialio* Iuriſconſulto, deinde ſub *Flavio Guglielmio* Senenſi cauſarum patrono celeberri-

rimo pragmaticus fieri, ſive, ut aiunt, ſtudiorum adiutor. Alacri tamen ſuo illo promtoque animo actus, in ſumma licet rerum inopia, ſubſecivas horas legendis Etruſcis maxime vatibus, Florentinis Hiſtoriis volutandis, Tuſcanicae linguae leporibus, imprimisque illius adgnoſcendis dialectis & paroemiis, inſumebat. Huc acceſſit, quod in iuvenili illo flore, atque ardore, aetatis, quum ab omnibus inſita quadam urbanitate opportuniſque facetiarum ſalibus, & pene Attica quadam venuſtate, commendaretur, Florentinorum quorumdam ſumtibus *Imperfectorum* Academia A. MDCLXXIV. fundata fuit in via, quae vulgo *Fullonum curſus* dicitur. Huius erat ſelectiores optimorum Auctorum *Suſinii*, *Villifranchii*, *Cicognini*, *Berardii*, fabulas agere, in quibus ſemper egregie ſubſtinuit notam illam, aeque ac perdifficilem derídiculi ſervuli perſonam. In privatis etiam theatris, *Marii* ſcilicet *Calamarii*, *Archangeli Vignalii*, *Philippi Ruſtichellii*, *Petri Bandinii*, Academicorum *Acerborum* χορυφαίυ, aliorumque, qui tunc temporis ſoluta oratione comoediis paſſim delectabantur, imberbis adhuc iuvenis grata ſemper novitate, mira iocorum opportunitate, Roſciano pene dixerim geſtu, & motu, ſpectatores moratus eſt. Haec vero ſua in comicis exercitationibus nativa propenſio eum percelebrem adeo Florentiae reddidit, ut theatra, quae actorem eum dabant, conferciſſima ſemper plauſibus reſonarent. Atque ita de induſtria, & quaſi ſic adgubernante fortuna, fiebat, ut inſignis ille Comoediographus, qualis quantusque futurus eſſet, ex eo uſque tempore

 apud

apud omnes portenderetur. Nec ſibi umquam, nec populari defuit exſpectationi. In comoediis enim omnibus poſtea a ſe ſcriptis neque *Menandri* inveniendi foecunditas, & imaginum, rerum, perſonarum, adfectuum nota expreſſio, & opportunitas; neque *Ariſtophanis* libertas in carpendis aetatis ſuae vitiis; neque Plautini ſales; neque Terentiani lepores, & elegantiae; neque ſcenici luſus, ceteraque comicae facultatis ornamenta & canones, umquam deſiderata ſunt peritiſſimorum hominum iudicio eas avidiſſime conquirentium, & in omnibus Italiae magnificentiſſimis, & transmarinis aliquot, theatris, concurſu ſemper ſummaque hilaritate adprobantium. Noſtra enim theatra hoc uno (ut modo de tot aliis noſtratibus taceamus) adeo praeſtant, ut Gallicis certe ſcenis neque *Cornelium*, neque *Racineſium*, neque *Molierium*, neque *Bauſaltium*, invideamus. Eapropter, quum iuſſu *Coſmi III.* Magni Etruriae Ducis mitteret ad *Annam Ludovicam Medicem* Palatino Septemviro nuptam comoedias ſuas, quibus Princeps illa ſapientiſſima unice in Germania recreabatur, Muſam ſuam iure optimo adloquebatur ut, ſi quid tolerabilius hac in re praeſtare vellet, ſciret ſibi eſſe veterum Poetarum Comicorum neceſſariam imitationem. Haec enim de illius ingenio dicta eo ſpectant, ut auſteris quibuſdam τοῖς ἀφιλοκάλοις & pedariis iudicibus faciam ſatis, qui dum ab Apathiſtarum Academia ſupremi honores & iuſta tanto viro perſolverentur, ut infra dicam, ii quaſi ſuae detractum gloriae, quod alienae impenditur, arbitrantes, Academicos ſubſpenſo, ut aiunt, naſo traduce-

bant.

bant; quod nullo doctrinarum genere ſingularem virum, ſed tantummodo frigidum, ieiunum, ſi ſuperis placet, & exſanguem Poetam, cautum acutumque ſyllabarum aucupem, vel non parum facetum ſcurram, immerito proſequerentur honore. Nae ridicula capita! Quaſi non omnium cultiſſimarum nationum iudicio, & uſu publici ſemper delati fuerint honores iis civibus potiſſimum, qui in quovis ſive literarum, ſive artium, vel mechanicarum, genere patriae gloriae excelluerint. Non tam iniqui profecto iudices erunt in *Ioannis Baptiſtae* noſtri famam, & gloriam, ſi totius vitae eius inſtitutum ad id potiſſimum conſilium reputaverint efformatum, quod de ratione ſtudiorum tradidit *Ioannes Clericus Artis Criticae P. I. C. V.* 88. 6. oportere nimirum ſtudioſis poſtquam iacta ſunt ſtudiorum fundamenta, in ſe deſcendere, & deſpicere in quam rem potiſſimum natura ferantur; tum ſi cetera, quae ad vitam pertinent, patiantur, eam ſibi deligere excolendam. Quum igitur ſe ad Poeſim illam, quae a *Francisco Bernio*, Canonico Florentino, principe cultore, cognomen ſumſit, divinitus trahi ſentiret, hilari ut erat vividoque ingenio mentiſque perſpicacia & iudicio ſolertiſſimo, non obſcuros proſilientis in ſe naturae impetus ſequi ſtatuit. Maluit enim artis praeſtantiam & ipſe poſt *Bernium*, *Ioannem a Caſa*, *Franciſcum Molzam*, *Benedictum Varchium*, *Caeſarem Caporalium*, *Grazinium*, *Bracciolinium*, *Taxonium*, paucoſque alios hoc ſcribendi genere viros egregios, una tantum in re aucupari; quam in tanta ſtudiorum varietate fruſtra diſſipari, & irridente *Seneca*, ubique eſſe

ut nuſquam eſſet; uti plurimi noſtrates faciunt. A quibus tamquam a peſte cavendis non ſemel hortatus eſt *Ioſeph Iſidorum* filium ſuum amarulentis iis carminibus, quibus ſciolorum ſupercilium, & ſuperbiam non ferendam, inſectatur. Atque ita ad artis praeſtantiam properare filium, levitate iſta & inconſtantia ſtudiorum contemta, non certe incitaſſet; niſi prius & ipſe in hanc iviſſet ſententiam, quam ſaepiſſime verſibus expreſſit. Hoc tamen ſtudiorum ardore, hac morum ſuavitate & in omnes obſervantia & fide, cognitus victum pene emendicare coactus eſt, quum A. MDCLXXVII. mortuo *Flavio Guglielmio*, nulla amplius ſtipe ex officio tranſcribendi clientes poſſet emungere. Varia & multa a multis petebat, ut vel in Cancellarium Florentini Montis Pietatis ſubfectus, vel in Reformationum Magiſtratum, ſaltem ut tachygraphus iuvenis, cooptaretur. Verum vitio temporum ab iſtis aliiſque publicis muneribus indigne repellebatur hiſce de cauſis, quas quis credat niſi ipſe adduceret? eſſe ſcilicet Poetam, & rei comicae tempus, & operam, ludere. Idcirco precibus, & amicorum contentione ſumma, vix obtinuit IV. Kal. Septembres A. MDCLXXVIII. ut in Curia Archiepiſcopali cuidam Actuario *Matthaeo Pierio* tenui mercede ſubrogaretur, adnuente S. R. E. Cardinali *Nerlio*, Florentino Archiepiſcopo, qui demum XIV. Kal. Februarias MDCLXXXII. Romae, quo abierat, ſe Archiepiſcopali dignitate abdicavit. Verum adeo tenue erat lucrum, quod ex curia percipiebat, tantaque in dies premebatur rerum inopia, ut deſperatione actus domi ſuae, quae

po-

poterat, corraſerit, & Liburnum perrexerit ad *Io. Baptiſtam Oliverium* adfinem ſuum, cuius ductu tentavit utrum ex illa promercali ſocietate *Guadagniorum* & *Quarateſiorum*, cui praeerat *Oliverius*, maiora emereret ſtipendia. Interea temporis caſu miſeri iuvenis, eiuſque fortunae acerbitate, commotus *Archangelus Vignalius* I. V. Doctor, & Archiepiſcopalis tabularii Cancellarius, quem nulli proceres, ut moris eſt, ad ſe receperant, illum benigne accerſiit, fovit, adiuvit, bono animo eſſe iuſſit, & IV. Eidus Apriles A. MDCLXXXI. cum ſibi in chartophylacio illo adiutorem conſtituit. Hunc ille honeſtiſſimum iuvenem filiis ſuis comitem, & exemplar, praebuit, domi ſuae pene omnino aluit, & ibidem ad iucundam animi remiſſionem fabularum eſſe actorem permiſit. Hinc adverſae ſortis acerbitas paullum miteſcere, eique munera aliqua, offerri, ut Romam iret ad *Laurentium Corſinium* Romanum Praeſulem, qui poſtea *Clemens XII.* fuit, ut ei eſſet ab epiſtolis; ſive ad hunc ipſum finem Neapolim a Genuenſi Marchione *Serra* accerſitus; ſive Britanniam vellet ire cum *Bedfordio* Equite Anglo primario, qui tunc temporis, quum Florentiae eſſet, cumque eius peritiam in conſcribendis epiſtolis, ceteraſque hominis dotes probaſſet, ſecum certe ampliſſimo ſtipendio conductum volebat. Eodem titulo potius, at cum maiori longe dignitate in Poloniae regnum demum decrevit abire, una cum praeclariſſimo illo Praeſule *Andrea a Sancta Cruce*, Pontificio Ablegato ad Regem Sarmatarum electo. *Claudia* enim *a Sancta Cruce* ſoror eius, *Manfredo* ex Marchionibus *Malaſpinis* nupta, matrona ſpectatiſſima, *Ioannem*

nem Baptiſtam ſibi probatiſſimum, fratri tunc per Florentiam tranſeunti propoſuit. Vt vero fidem, honeſtatem, induſtriam hominis, maximeque animi alacritatem, ſolertiſſimus ille Praeſul perſpexit, ſaepiſſime plurimis noſtrae civitatis nobiliſſimis viris eum ſolitum teſtari aiunt, ſibi eum conſiliorum ſuorum omnium participem, itinerum & legationum comitem & adiutorem commodiſſimum, per quam libenter adiunxiſſe. Quod re etiam praeſtitit. Nam veſtibus, argento plurimo, quo ad iter ſe pararet, donatum Venetias miſit, dum ipſe ad Ravennatenſem Exarchum *Dominicum Mariam Corſium* S. R. E. Cardinalem iret, primum ibi ſacrum Deo oblaturus. Ipſe etiam hanc opportunitatem varios hominum videndi mores & vrbes (qualia ſunt omnium doctorum hominum plerumque vota) feliciter nactus, quantopere gauderet clariſſimo viro *Franciſco Redio* amico ſuo ſignificavit Italico lepidoque epigrammate, quod ad eum tali oblata occaſione ſcripſit. Hanc vero animi laetitiam, deque itinerum utilitate ſpem conceptam, vix VIII. Kal. Quinctiles A. MDCXC. Varſoviam ingreſſo ei ademerunt amiſſae in primis patriae, qua *Luciano* teſte nihil carius, amor & recordatio, uti ad laudatum *Franciſcum Redium* e remota illa regione, quaſi Sulmonenſi vates alter, moeſtiſſimus querebatur. Deinde locorum aſperitas, perpetuum κλίματος frigus & intractabile, gentium mores, ceteraque incommoda, quae in feſtiviſſimo illo poemate non ſine poetica quadam amplificatione recenſet, quod ex eadem urbe VI. Kal. Ianuarias A. MDCXC. ad Celeberrimum *Antonium Magliabecchium* miſit. Atque heic

heis obiter dicam huiuſce Poematis αὐτόγραφον in ſchedis meis adſervari, in quo multo plures verſus leguntur, iique acerrimi in regionem illam, generatim tamen, dicti; non livore aliquo, ſeu male dicendi libidine, a qua longe ſemper abfuit, ſed potius ſuo illi iocoſe ſcribendi generi quam maxime adcommodati, & ad illius regni poeticam quamdam deſcriptionem contexendam, quemadmodum ipſe in poemate illo ad Cardinalem *Franciſcum Mariam Medicem* Patronum ſuum poſtea confeſſus eſt. Nihilo tamen ſecius hoc, & nonnulla alia hactenus inedita, ex eo loco miſſa, poemata, & Florentiae Romaeque avidiſſime a multis lecta in cauſa fuiſſe aiunt, ut ille, re cognita a Polonis indigne ferentibus, ipſum vitae diſcrimen eſſet ſubiturus; adeoque a Pontificio Ablegato, qui turbas, & ſtudia hominum, cautus vellet vitare, ipſe clanculum abire, & patriam reverti iuberetur. Ego vero, qui attentiſſime ephemerides eas omnes ab illo conſcriptas pervolutavi, hoc ſolum de ſuo a Poloniae regno diſceſſu adnotatum inveni, nempe „ VIII. Eidus Maii MDCXC. Dominum meum „ rogavi ut abirem. Speciosam non veram diſceſ„ ſus ei cauſam adduxi. Scio tamen veram cau„ ſam eſſe iuſtiſſimam, nulli vero dicendam. „ Hunc meum diſceſſum aegre tulit amantiſſimus „ Dominus, aitque ſe omnium optimo, utiliſſimo„ que viro, quotquot in aula eſſent, privari. Cer„ tam pecuniae ſummam ad iter conficiendum „ generoſe mihi elargitus eſt. Hactenus *Fagiolius* qui V. Kal. Sextiles A. MDCXCI. Florentiam laetior & alacrior, quam antea, rediit poſt unius an-

anni in Polonia manſionem, quam tantopere faſtidiverat, veluti poſt interiecto quatuor annorum ſpatio ad amantiſſimum Dominum ſuum, qui ibi adhuc degebat, ſcripſit. Et ampliſſimo viro Abbati *Dominico Martellio* gratulatus, quod *Franciſcus* patruus eius, qui itidem Ablegatus in Polonia fuerat, S. R. E. Cardinalis fuiſſet demum renunciatus, ait, quod, licet nullo alio commendatus eſſet nomine, tamen in Polonia commorari idem eſſe, ac ſatis ſuperque ſacram Purpuram promereri. In patriam reverſus Archiepiſcopalem curiam rurſum adire, & intermiſſum ſcribae officium exercere in illo Archivo, ſub eodem *Archangelo Vignalio*, coactus eſt, quum ei etiam, ut cuique viro bono paſſim fit, ſemper res anguſta domi & curta ſupellex eſſet, adnuente Florentino Archiepiſcopo *Iacobo Antonio Morigia* Patricio Mediolanenſi, poſtea S.R.E. Cardinali, quem beneficii huius memor verſibus ſuis nominat, & laudat. Dum haec aguntur duae illae civitatis noſtrae Academiae Comicae *Surgentium*, & *Cadentium*, hunc noſtrum ad ſcenicos luſus vere natum precibus & praemiis, quaeque pro ſuo theatro, fabularum ſcriptorem ſimul, & actorem, petierunt. Quod fortunis ſuis principium praebuit & incrementum. Etſi enim ille apud *Mediceos* Principes literarum litteratorumque hominum ſoſpitatores inclaruiſſet iam inde uſque a Vindebona Auſtriae liberata A. MDCLXXXIII. de qua expeditione & noſtrorum victoria multa quidem, ſed egregiam potiſſimum, oden, omnibus naturae & artis coloribus, expreſſam, carminibus mandavit; ut ex epiſtola *Paulli Antonii Appiani* Soc. I. ad eum miſſa

miſſa colligitur: tamen ex ſcenis maior ei nominis exiſtimatio eſt addita. Huiuſmodi enim comoediae ductu conſilioque illius factae, & illius geſtu motuque pene dixerim animatae, tanti apud omnes ſteterunt, ut ipſemet *Franciſcus Maria Medices* S.R.E. Cardinalis ſaepius adeſſe, eaſque audire voluerit, & ſemper illis plauſerit. Ex quo factum, ut tanti Principis patrocinium & gratiam ex eo uſque tempore ſibi *Fagiolius* promeruerit. Nil mirum itaque ſi XVII. Kal. Maias A. MDCXCIV. in Archiepiſcopali curia, Actuarii tandem, licet difficulter, locum & munus, ſucceſſurus cuidam *Ioanni a Turre* qui obierat, obtinuerit a Florentino Archiepiſcopo *Iacobo Antonio Morigia*, ope potiſſimum *Medicei* Moecenatis ſui ampliſſimi, cui in poemate quodam gratias agens totum referebat acceptum. Ex hac vero dignitate modicum certe lucrum ei proveniebat, nihilque, ipſo teſte, ad bene honeſteque vivendum ſupererat, quin potius aere alieno in dies ſemper premebatur, & curis ſemper domeſticis & acerbioribus angebatur. Quod igitur deſperata non laboravit inopia, ut literatis plerumque viris uſuvenire ſolet, praeter ceteros *Mediceos* Principes, uni *Franciſco Mariae* Cardinali eſt tribuendum. Ipſe enim hominis integritate & fide, argutiarum acumine, carminum facilitate, iocorum venuſtate illa, qua *Fagiolius* tantum poterat a natura, captus, & illectus, nuſquam a latere ſuo eum abire, ne momento quidem temporis, patiebatur. Erat tunc Etruſcorum Principum noſtrorum Regia florentiſſima, quam divitiis refertam, regali magnificentia & luxu conſpicuam eruditiſſimis quibusque

que viris patentem, vario demum eoque lectiſſimo politiſſimoque ſingulorum Principum fulgentem cultu, familiis, & miniſterio, ſapientiſſime moderabatur *Coſmus III.* Magnus Dux. Eius vero frater *Franciſcus Maria* iam in Purpuratorum Patrum coetum relatus ab Innocentio XI. A. MDCLXXXVI. poſtea quam a Senis, quas antea regebat, Florentiae ſedem ſuam perpetuam poſuit, quis referat quantopere aulam totam mirabili ſua illa morum ſuavitate, argenti divitiarumque profuſione vere regia, erigeret, recrearet? Huc accedebant & *Ferdinandi* Principis Iuventutis fauſtiſſimae nuptiae cum *Violante Beatrice* Vindelicorum Principe, & *Ioannis Gaſtonis* perſpecta ſapientia ad ſpem, & vota populorum. Quae omnia aulicis hominibus quantum alacritatis laetitiae & deliciarum (in Regiam enim quantum eſt hominum venuſtiorum confluebat) quotidie cum domi, tum ruri, adferrent, quiſque vel a maioribus ſuis, vel a patria Principatus hiſtoria diſcere, vel demum legere per ſe poteſt in diverſis Poetae huius noſtri carminibus, quae in illa vel altera, ludorum, feſtorum, ruſticationum, occaſione lepidiſſime conſcripſit. Heic tantum curſim dicam, *Ioannem Baptiſtam* noſtrum fuiſſe non modo in album ſuorum familiarium ab ampliſſimo Moecenate *Franciſco Maria* relatum, & largiſſimo ſtipendio viginti annorum ſpatio, quoad Princeps tantus vixit, donatum; verum etiam ab eo ſingulari benevolentia, aditu facili, gratia, perhonorificentiſſimis muneribus, complexum more quidem & animo regio. Adeo enim huius noſtri promto alacrique animo, & eius mira fundendorum verſuum, & iocoſas effingendi

di comoediis extemporalitate in beato illo regalis villae Apiculo laetiſſimus Princeps rapiebatur; ut una cum eo ſemper ruſticaretur, cum eo ſemper Romam, Venetias, Mediolanum, & per totam pene Italiam ſaepius & iterum peregrinaretur. Ad menſam etiam hunc noſtrum, quaſi alterum *Demodocum* vel *Iopam*, canentem ſaepiſſime audivit, & acute ſemper non minus quam facete ludicra effundentem ad Principis oblectamentum; ut ad Calatinum Marchionem *Ioannem Corſium* ſeniorem ſcribit ipſe, referens iuſſu Principis ſui, quae & quantae eſſent deliciae, & luſus, Apiculanae ruſticationis. Neque ſolo *Franciſci Mariae* amore & patrocinio adiutus eſt uſque ad annum MDCCX. quo III. Nonas Februarias tantus Princeps ſummo eius & omnium moerore obiit; verum etiam primum *Coſmus III.* mox *Ioannes Gaſto* Magni Duces hominem certe ſingularem favore donec vixere proſequuti, honorificentiores dederunt ei, quotquot in hac urbe ſunt, Magiſtratus, & lucroſiores ſaepius & iterum confirmarunt. *Ferdinandus* etiam Princeps Iuventutis, quem Etruſco nomini & gloriae III. Kal. Novembres A. MDCCXIII. fata inviderunt, ab eo ante iubebat probari percelebres eas comoedias, quae & in villa ad Caii Podium, & in altera Pratolini, concurſu ſummo & populi hilaritate exhibebantur. Quanti vero fecerint eum Auguſtae feminae etiam *Violantes Beatrix*, & *Eleonora Gonzaga*, par illud nobile τῶν φιλομούσων abunde patet in utriusque Principis vita, & in altera *Ferdinandi* Etruriae Principis, eruditiſſime conſcriptis Tomo I. horum Memorabilium. Hoc tantum

di-

dixiſſe ſubficiat, *Violantem* ſubacto *Ioannis Baptiſtae* iudicio comoedias illas expendi voluiſſe quae ipſa omnium admiratione componebat; ſuiſque in aedibus per ſe, & per ſuas honorarias Virgines agebat; illum ſaepius in re ſcenica & Poetica accerſiſſe, ad ſe ventitare iuſſiſſe, una cum *Antonio Maria Salvinio*, *Coſma Villifranchio*, *Antonio Salvio*, *Friderico Giannettio*, *Maximiliano Soldanio Benſio*, *Franciſco Baldovinio*, *Ioſepho Vannio*, ceteriſque, quorum conſuetudine & coetu delectabatur. Eum pluries rus ſecum duxit; eum ſemper vel differentem, vel ludicra illa Sibyllae oracula enodantem, vel lepidiſſima pipetataque illa ſua recitantem carmina, voluit adeſſe Academicis illis Apathiſtarum conventibus, quos illa in regias aedes exemplo vere ſingulari transtulerat. Hunc etiam invitabat, quando & laetiſſimis ſtipata choris Poetarum, cantibus *Bernardini Perfecti*, *M. Antonii Mozzii*, *Dominicae* ſuae, *Alexandri Ghivizzani*, *Iac. Ant. Lucchesi*, *Vaſelli*, *Paſqualini*, *Melani*; & quando eruditiſſimis colloquiis *Salviniorum*, *Scipionis Maffei*, & *Ioannis Lamii*, ceterorumque, vel integros condebat dies, vel inſomnes producebat noctes. *Eleonorae* vero alterius Principis colloquiis, &, niſi audacter dictum ſit, familiaritate adeo intima, utebatur, ut non modo ab eo dirigerentur iocoſae eae fabulae, quas per cubicularias ancillas ſuas ea quoque agebat, & cantiunculae illae ſcriberentur ſingulis actibus intermiſtae; verum etiam facetiis, ſalibus, carminibusque, huius unius ſolaretur adflictam regiam conditionem, dum in privata quaſi fortuna rus ſuburbanum *Georgiorum* ſeceſſerat. Quid de *Anna Maria Ludovica Meditea* dicam, quae quum

Duſ-

Duſſeldorpii verſaretur, huius noſtri Comoedias a *Coſmo III.* patre, & a patruo *Franciſco Maria*, petiit, eaſque tantum ibidem voluit exhiberi; & omnia eius, nondum etiam edita, carmina ſibi tranſcribi curavit, ad ſuam a patre & a patria eorum lectione abſentiam mitigandam? Eapropter decem illa ad eam ſcripſit poemata, quae in Parte prima leguntur. Suo quidem bono & emolumento id eſt exſequutus; ab ea enim dono pelvis argenteae pecuniarum plenae adfectus eſt; ad obtinenda publica munera acceptior redditus *Coſmae* patri; cui *Fagiolius* nimia hilaritate, ſuaque illa *παῤῥησίας* facilitate antea erat ſubſpectus; in id etiam adnitente *Franciſco Antonio Biaſuccio* Soc. Ieſu, ad quem plura carmina ſcripſit. Hac itaque non ultima laude auctus, noſtris placuiſſe Principibus, quum beato illo literatorum otio, & ad ſcribendum neceſſaria animi tranquillitate, frueretur, eadem *Violantes Beatrix* A. MDCXCVI. ei propoſuit ducendam uxorem *Mariam Magdalenen* ex honeſta familia *Bagnoliorum*, quae duobus elapſis annis XIV. Kal. Ianuarias matrimonio iuncta uſque ad annum MDCCXIV. decem & mares & feminas filios ei peperit. Ex his quinque primo quaſi in limine vitae raptos, poeticis, ut videre eſt, deflevit naeniolis. Tres vero filiae in ſuburbano parthenone D. *Donati*, altera in aſceterio Ancillarum Sanctiſſimae Trinitatis, huius noſtrae civitatis, virginitatem ſuam Deo voverunt, de quibus plura Italica epigrammata amantiſſimus pater conſcripſit. Dulciſſima matre amiſſa XVII. Kal. Novembres A. MDCXCIX. unus ei tantum ſuperſtes fuit filius *Ioſeph Iſidorus*, quem omni

cura, ſtudio, & amore, in ſuipſius mores, & veſtigia, deductum cupiebat. Ab excolenda Poeſi ſolum eum variis elucubrationibus dehortatus, praecipue vero celeberrimis illis quaternis verſibus ad eum datis, qui tanquam ſatyricae Poeſeos ſpecimen abſolutiſſimum merito a viris periti ſſimis ſubſpiciuntur. Ex quo licet coniicere fuiſſe puerum ingenii acie & optima indole praeditum; ſed ſuo edoctus exemplo ſolertiſſimus pater ab inani ſterilique cantu Poetarum illius animum potius in Iuriſprudentiae cognitionem pellexerat,

Quae ſapit, & cunctos foenerat una Deos.

Verum neſcio quo communi optimorum omnium genitorum fato evenerit, ut paternis votis, & curis, parum cumulate filius reſpondens, poſt multa militarum potius abierit in arce Coſmopoleos, vulgo *Porto Ferraio*, in qua primo cohortis Signifer creatus eſt; mox *Ioannis Gaſtonis* Magni Etruriae Ducis, cui pater ad inopiam pere redactus ſupplicem libellum verſibus obtulit, ut in primo Poemate ſeptimae Partis poſtumae legitur, peculiari privilegio cum eadem dignitate, ſed emeritus, in urbem rediit. Ducta uxore *Barbara*, *Silveſtri a Podio* civis honeſtiſſimi filia IV. Eidus Februarias A. MDCCXXXVI. quum una cum patre in Archiepiſcopali Curia, miſero tamen lucro, verſaretur, demum triginta duos annos natus e vivis exceſſit ſexto Nonas Martias A. MDCCXXXVIII. relictis adflicto patri duobus filiis, qui & ipſi, quum poſtea paucis inter utrumque interiectis menſibus obiiſſent A. MDCCXL. ipſe qui omnium ex ſua ſtirpe, conſtanti ut erat animo

mo, funus viderat, Deo humanarum rerum moderatori ea, qua erat, animi moderatione, agere gratias valuit, ſapientiſſimo Italico epigrammate, quod hactenus ineditum doctorum manibus conteritur. Haec vero eius in adverſis rebus conſtantia in toto pene vitae curſu enituit, quo ſemper ſibi fuit, ut ipſe ad *Mariam Tereſiam Strocſiam* Forani Principem ſcribebat in funere filii ſui, cum fortuna confligandum. Ipſa enim ingenii ſui alacritas, artis praeſtantia, nativus ille ſuus minimeque adſcitus fucatuſque animi candor, ſuum illud iocoſe ſcribendi genus, aliaque plura mentis ſuae ornamenta, nedum ſibi prodeſſent, utinam non nocuiſſent! Eius certe natura iis temporibus nequaquam poterat ſervire, in quibus, ipſo teſte, plures erant, qui fictae pietati, & adſentationi, plus nimio indulgerent; & religionem plerumque, rebus, ut ſaepe fit, & fortunis metirentur. Quod & clarius in poemate illo de aula aulicorumque vita ſignificavit. Hinc antequam Principum iniiſſet gratiam, ut ſuperius dixi, plures ei denegatae fuere dignitates & munera, ut ipſe toties in ſuis verſibus iure optimo meritoque gemit & indignatur, quibus familiam ſuam honeſte ſuſtentare, & ſumtum ſuum facile exercere, poſſet. Hinc familiares querimoniae illae, & gemitus, vota, adſiduaeque petitiones, quibus affatim carmina ſua abundant. Neque vero tot tantiſque domeſticis incommodis preſſus, tot humanis vicibus plagisque inimicae ſortis percuſſus, unquam ſuccubuit; ſed bonorum omnium largitori Deo confiſus illud Prophetae uſurpabat, quod carmine Etruſco illuſtravit;

 ni-

nimirum, *Spes mea, Domine, in terra viventium*. Ac revera aurea ſemper mediocritate contentus a cumulandis opibus quo iure quaque iniuria abhorruit, vel quum Principibus gratioſus in aula verſabatur. Satis, ut cum *Tacito* loquar, habuit, ſi tenues res ſuae nec ſibi pudori, nec alicui oneri forent. Vxori enim, conſanguineis, amiciſque ſuis, inſtantibus, ut honeſtum aeque ac quaeſtuoſum, quod vacaverat, munus publicum ab ampliſſimo Moecenate ſuo peteret, reſpondiſſe fertur, qua animi moderatione erat: Principibus caute admodum eſſe preces admovendas, ne ita eorum benevolentia faſtidiis adhaereſceret, & popularium, omnia ſibi rapiendo & pene vorando, ſubiretur invidia. Idcirco nonniſi vocatus ad aulam accedebat, numquam importunus, ut plurimi noſtrae aetatis Attali facerent, obrepebat; ſed potius ſciens ab aula nonnumquam ad ſui deſiderium excitandum digrediebatur, & hanc eſſe cauſam ſcribebat ad *Franciſcum Mariam Medicem*, quod eum rarius, quam ipſe vellet, ſalutaturus adiret. Sincerae integritatis conſcius, licet Politices arcana cuiuſvis generis bene noſſet, ut in toties memorato poemate de aula aulicorumque artibus demonſtrat; tantum abfuit, ut vitiis, vitioſiſque, velificaretur, ut nudae incorruptaeque veritatis vates, ſicuti ſincerum numquam, ut cum *Horatio* loquar, vas incruſtavit; ita numquam virtutes ipſas invertit. Quin etiam tanta fuit morum innocentia, & perpetua vitae honeſtate, ut ab ea numquam deflecteni ſuae aetatis ſuorumque civium mores & ſcelera Italo, ut aiunt, ſcenicae vel ludicrae Poeſeos ace-

ceto perfricaverit. Principes vero aequi bonique leges & officia, & veritatem docuit; aulicorum, quotquot erant, technas, carminum melius ſuavitate patefecit, & graphice deſcripſit in poemate quarto Partis poſtumae ad Cardinalem *Medicem*. Optimorum ſemper partes, eumque morem, tenuit, ut, quum in aula habebantur ſermones, & cum Principibus conloquebatur, ſemper aliorum promerita, dignitatem, ſtudia, hac adrepta occaſione, ob Principum oculos poneret, quod priſcis illis eruditiſſimis aulae hominibus ſolemne fuiſſe Paragrapho VI. adnotavit V. Cl. *Antonius Franciſcus Gorius* in Memorabilibus de celeberrimo Iureconſulto *Ioſeph Averanio*. Etenim literati omnes beata tunc ſocietate & cognatione quadam inter ſe iuncti continebantur. Hinc amore apud ſuos vere ſingulari, apud exteros nominis exiſtimatione, & famae viguit celebritate. Illud vero in hoc homine mirandum eſt, ac prope divinum, quod, quum in iram ſuapte natura proclivis eſſet & incenſus; quum utroque ſalium genere, facetiarum nempe, & dicacitatis, ad miraculum uſque eſſet inſtructus; neminem unquam laeſerit nominatim; ſed laceſſitus riſu, & tecto, ut aiunt, latere iniurias contemſerit. Quod vero fidem ſuperat, nimirum eſt, quod precibus, ſpe, ſummorum virorum praemiis, adduci numquam potuit, ut alienam famam proſcinderet, & alienum quid a Chriſtiana caritate diceret, iis potiſſimum poeticis conviciis, quae ei irato a natura, ab arte, ab illo demum ſuo ſalſo ſcribendi ſtilo mirifice ſuppetias, ut ita dicam, ferre pote-

rant. Quam cautus, quam prudens, eſſet in illo potiſſimum *Meloſiano* ſcribendi genere, nonnulla in oratione de eo habita per tranſennam adtigi. Huius certe noſtri pietas non fucata, ſed abſoluta Chriſti virtutum imitatio, quibus vel a teneris unguiculis ſtuduit, naturae acerbitatem non ſine quadam ſui violentia correxit; igneum ingenium adeo retudit, ut vere ferreus a conſcribendis Satiris, ſibi tot tantisque oblatis occaſionibus, ut ad *Silvagiam Borghiniam*, Piſanam Poetriam ſcribebat, tamen tenuerit ſe, conſilio plus certe quam ſtomacho daturus. Antequam vero moriturus efflaret animam, codicillo ſuo praeſcripſit, ut quam citiſſime ſua omnia adhuc inedita carmina, ſingulae elucubrationes, ceteraque ſcripta, deferrentur ad celeberrimum Theologum *Ioſeph Mariam Brocchium*, quo cum ſumma intercedebat neceſſitudo, ut ex illius ad eum ſcriptis carminibus patet. Se enim rectiſſimo eius iudicio ſubiicere, ea, quae digna luce eſſent, poſterorum memoriae tradere; quae ſecus, flammis imponere. Quod diligentiſſime exſequutus ſeptimae poſtumae Partis editionem nuper Lucae MDCCXLV. adornavit, alteram propediem curaturus, una cum eius numiſmate aeri inciſo. Neque ita a natura ad ludum & iocum factus erat, ut vel in Religionis negotio gravitatem tueri neſciret, vel Chriſtianae pietatis officia quaeque obire negligeret. Multa eius carmina legenti praeſto ſunt pietatem redolentia. Quam vero adſidue in Divi *Ioannis* Loyolitarum templo verſaretur, quam religioſe ibi Eccleſiae Sacramenta ſuſciperet, quam adten-

tente ac frequenter ſacras orationes audiret; maxime vero in D. *Laurentii*, *Petrum Franciſcum Toccium* amicum ſuum, de laudibus Mariae Virginis ſingularum hebdomadarum ſabbatis laudabili conſuetudine dicentem; quam facile ſacros oratores ſuis carminibus commendaret; quam digne apte graviterque de virtutibus, de vitiis, ad familiam ſuam diſſereret, teſtimonia poſſent adduci plurima. Ipſe etiam nonnullas ſacras orationes habuit non ſine multa ſacrarum literarum peritia in plurimis urbis noſtrae Sodalitiis, praecipue vero in ſacro Divi *Paulli* Hypogaeo, cui A. MDCCIX. nomen dederat. Haec eadem pietas eius perſpecta & cognita, bene actae vitae eius conſtans omnium opinio, & fama, acceptiſſimum reddidit Florentinis Archiepiſcopis *Iacobo Morigiae*, *Leoni Stroctio*, *Thomae a Gherardeſca*, *Ioſeph Martellio*, qui omnes deinceps in dioeceſanis luſtrationibus eo ſemper uſi ſunt, iam inde ab anno MDCXCVIII. quo ab eodem *Morigia* dictus eſt Cancellarius, ut vocant, ſive actorum Scriptor. Ipſe vero qua erat diligentia in ſuis privatis ephemeridibus totam itinerum huiuſmodi rationem, viarum compendia, ſtationes, Eccleſiarum numerum, picturas, emblemata, inſcriptiones, ſi quae alia eſſent, Rectorum in primis & populorum ingenium, componendarum rixarum ſtrategemata, ceteraque minutim adnotavit, quae Florentinis Archiepiſcopis dioeceſin luſtrantibus uſui eſſe magno poſſent. Hoc enim in eo ſemper fuit, ut omnium itinerum, ſcilicet Poloniae, Mediolani, Venetiarum, & urbium quoque Etruſcarum, abſolutum Diarium ſemper more do-

ctiſſimorum hominum conficeret. *Franciſcus* etiam *Caietanus Incontrius* Volaterranus, *Ioannis Baptiſtae* fama motus, ubi cum nuperum Florentinum Archiepiſcopum miniſtri curiae, quotquot erant, de more ſalutatum IV. Kal. Iunias A. MDCCXL. adierunt, ſtatim a cucullato quodam, qui illic adſtabat, quaeſivit, utrum inter illos celeberrimus adeſſet *Fagiolius*, quem & adgnoſcere & adloqui ſummopere deſiderabat. Ex quo huic creditur ſapientiſſimo Praeſuli, uti etiam ſuperioribus, futurus fuiſſe cariſſimus. Quo iudicio ipſe laetatus eſt, quum in octavo ſeptimae Partis poemate, exinde occaſionem adripiat canendi & eius laudes, & Florentini Archiepiſcopatus inaugurationem. Quod vero ad eius ingenii dotes praeclaras & ſingulares adtinet, ea fuit mentis vi, & perſpicacia, ea ſpirituum celeritate, ea demum memoriae tenacitate, ut pueriles eius inſtitutiones reputanti αὐτοδίδακτος profecto videatur. Bernicam Poeſim coluit, & tam alte profeſſus eſt omnium iudicio Eruditorum, ut *Ioannes Maria Creſcimbenius* Maceratenſis, adſerere non dubitaverit Lib. VI. Voluminis I. Commentariorum ſuorum in Italicam Poeſin, licet multi venuſtati *Bernii* coniunctum *Caeſaris Caporalii* verecundum colorem ſibi optent, nemini hac in re concedere *Ioannem Baptiſtam Fagiolium*, quum iam unus ille Florentiae & apud exteros vere ſingularis in hoc genere habeatur. Quod ipſum ſenſit etiam *Ioſeph Blanchinius* Pratenſis, Orator & Poeta cultiſſimus, in altera parte eruditiſſimi ſui de Italica Satira commentarii; in quo in exemplum peracutae, & facetae dicacitatis

cum

cum ſalſa, ſed honeſta, urbanitate quadam coniunctae, adducit huius noſtri poemation illud de laudibus ignorantiae; aitque ob feſtivitatem ſuam *Fagiolium* eum eſſe unum, quem imitemur. Quam ſententiam Veneti Auctores Ephemeridum Litteratorum graviſſimo iudicio ſuo confirmarunt Tomo XX. Art. XII. quo *Blanchinii* librum expendunt. Ac revera ſi duo excipiantur, adnuente adhuc Numine, ſuperſtites *Sanctes Caſinius* I. V. D. celeberrimus, cui, ſi legum ſtudium ſiviſſet, hoc ſcribendi genus multum deberet; & *Antonius Maria Biſcionius* Regius Laurentianae Bibliothecae Praefectus, qui praeter alia ingenii ſua ornamenta plurima, & maxima, in hoc Poeſeos genere & ipſe praeſtat: nemo alius, quem ſciam, in hac alias florentiſſima urbe ſupereſt, a quo perdifficilem hanc, teſte *Tullio*, artem ſalis edoceamur. Comicam veram facultatem tam perite ad veterum imitationem perfecit, & ad Etruſcas ſcenas, noſtrorumque temporum vitia & ritus accommodavit; ut ab *Hieronymo Giglio* Senenſi, coaevo & aemulo Scriptore *venuſtiſſimus Terentius Etruſcus* fuerit cognominatus, in famoſo Lexico, quod a Diva *Catharina* nomen ſumſit. Propter hanc nominis celebritatem ad omnes Theatrorum noſtrorum fabulas, & muſica etiam δράματα ſpectanda aſymbolus ſemper, quoties vellet, quod ſaepe erat, admittebatur. Linguas etiam plures adprime calluit, Latinam nempe, Etruſcam, Gallicam, Germanicam, Polonam; de Graeca vero & Hiſpanica nonnihil delibavit. Dicendi vi cum in metrica, tum in ſoluta oratione adeo polluit, ut

ut ſepe in utramque partem de iucundiſſimis problematibus & paradoxis, ceteroquin ieiunis & frigidis, copioſe & ornate in Academiis cum publicis tum privatis, & apud Principes noſtros, diſputaverit. Legum quoque Romanarum, & noſtrarum θεωρίαν ſimul ac πρᾶξιν ſibi adiunxit non contemnendam. Legentibus vero eius opera videtur expers nequaquam, & ignarus fuiſſe Philoſophiae, & Ethices in primis; Phyſices, Anatomes, Geographiae, Picturae, Sculpturae, rei numariae, Hiſtoriarum cum antiquarum tum recentium, ac praecipue patriarum; omnium & ſingulorum optimae notae Scriptorum, ſacrae profanaeque eruditionis, ceterarumque liberalium artium; licet non plus adtigerit doctrinae, ut dixi, quam quantum prima illa inſtitutione potuerit. Verum ex adſidua optimorum Auctorum lectione, frequentibus doctorum virorum colloquiis, erudito epiſtolico commercio, & optimo in rebus omnibus & ſtudiis φιλοπονίας uſu, non vulgarem literaturam, & acre in rebus iudicium & peritiam, eſt adſequutus. Copioſam etiam librorum cuiuſcumque generis ſupellectilem, inter quos ſex millium & amplius comoediarum editarum ſyllogen, praeter plurimas optimorum Auctorum ineditas; inſignes tabulas virorum literis vel dignitate praeſtantium, ex quibus τὸ ἀρχέτυπον amatiſſimi *Franciſci Bernii* expreſſum a *Chriſtophoro Allorio*, vulgo *Bronzino* (quod primigenium exemplar ab eo, antequam moreretur, maximi emit cum picturis aliis *Bembi*, *Caſae*, *Torquati Taſſi*, Cardinalium *Ioannis Delphini*, & *Noriſii*, *Antonius*

Fran-

Franciſcus Gorius, datis ei inſuper earum abſolutiſſimis exemplis) idola multa, rariores numos, recentiorum numiſmata, aliaſque cupedias, & eruditorum elegantiores delicias, ſibi comparaverat. Quae omnia, ſi pauca excipias, quae ſolertiſſimus eorum indagator *Gorius* ſibi ab eo adhuc vivo emenda curaverat eiuſque manuſcripta ab unico literatorum laborum ſoſpitatore Marchione *Gabriele Riccardio* emta ſexagintis Florentinis ſcutatis, in publicis plateis iuxta commune doctorum fatum diſſipata proſtiterunt. Infinitus eſſem ſi Etruſcos & Italicos quoſque Eruditorum coetus, (Academias dicunt) in quos cooptatus fuit *Ioannes Baptiſta*, Vates iam invidia maior factus, & eius amicos omnes, velim recenſere, doctrina & dignitate conſpicuos. Dicam tantum, eum fuiſſe unum ex primis patribus, qui naſcenti Apathiſtarum Academiae nomen dederunt; quum magna ſibi eſſet conſuetudo cum *Auguſtino Cultellinio* eius fundatore, qui VII. Kal. Septembres A. MDCXCIII. obiit. Academicus vero Florentinus A. MDCXCVIII. renunciatus eſt & mox A. MDCCI. Romano Arcadum Coetui ſub nomine *Sargontis Nedeatidae* adſcriptus fuit. Vt Arcadiae Paſtor centum & decem illa epigrammata conſcripſit contra bellum, ad *Ateſten Mirſinium* alterum Arcadiae Paſtorem, *Carolum* nempe *Emmanuelem Ateſtinum*, Sanctae Chriſtinae Marchionem, bellica laude flagrantem, quocum A. MDCCXI. quum eſſet Mediolani, initam ſocietatem hiſce carminibus exornavit & perpetua epiſtolari frequentia fovit. Mediolanenſis etiam *Laborantium* Academia, & *Refor-*

ma-

matorum Caeſenatium, & *Philoponorum* Faventiae, & *Philergitarum* Forolivienſium, & *Intronatorum* Senenſium, & *Coactorum* Arretii, & *Sepultorum* Volaterris; uno verbo quotquot fuit per Italiam totam Eruditorum conventus, hunc Vatem noſtrum feſtiviſſimum ſibi ſocium perpetuo ſuarum Academiarum decori adſciverunt. Quod non obſcure ſignificarunt Academici illi *Braenſes* Innominati in Sabaudia, inter quos *Ioannes Baptiſta Confoederatus* cognominabatur, cum IV. Eidus Septembres A. MDCCXVII. Poeticas ſuas lucubrationes omnes dicandas invicto illi Germaniae Marti *Eugenio a Sabaudia*, antea expoſuerint ſubacto eius, tamquam tunc temporis Apathiſtarum Praeſidis, iudicio, ceterorumque Academicorum, qui in illa epiſtola ab ipſis non ſine Florentini nominis gloria, *veri & unici totius politioris literaturae Iudices adpellantur*. Quibus pridie Eidus Novembres eiusdem anni, poſtquam noſtros de illis carminibus conſuluit, tamquam Arbiter & Magiſter reſpondit. Tanti ab exteris habita eſt tunc Apathiſtarum Academia, quum ei bis A. nimirum MDCCXII. & MDCCXVII. ſummus Moderator praefuit. Soli enim literati viri tunc temporis Academiam illam regebant, quum ad huiusmodi honorem nondum patricii obrepſiſſent. Tanta illi fuit amicorum copia, ut dixiſſe ſubficiat, nullum ſua aetate floruiſſe dignitate vel literis, cuius amicitiam non coleret, & quoad vixit ſancte ſervaret, ipſo teſte, in eo poemate ad *Antonium Mariam Salvinium*, cuius, & *Salvini* fratris, familiaritate utebatur. Plurimi etiam facta eſt ab eodem *Antonio Maria* eius in Etruſca lingua peritia,

ut

ut eius carmina in exemplum citaverit in Adnotationibus ſuis ad comoediam *Michaelis Angeli Bonarotae* Iunioris, cui titulus *Nundinae*, vulgo *la Fiera*. Intimus fuit familiaris, & adſecla celeberrimi *Antonii Magliabechii* Palatinae Bibliothecae Praefecti, quorum utrumque aſtrum mirifice conſentiebat; & ſucceſſoris eius *Benedicti Breſciani*, qui multa *Fagiolii* carmina, & facetias, memoria tenebat, & in iucundiſſimis coetibus paſſim ad hilaritatem recitabat. Quod etiam hodie multi cum literati tum beatae vitae ſtudioſi in dulciſſimis colloquiis, & ruſticationibus, paſſim undique faciunt, per ora quorum vivus adhuc *Ioannes Baptiſta* volitat & volitabit. Cum *Rediis*, Baiulivo *Gregorio* & *Franciſco*, & *Ioſeph a Papa* Archiatris, *Franciſco Zambonio* Palatinae Electricis noſtrae Medico, eiuſque Vate comite *Thoma Froſiuo*, cum Triumviris *Averaniis*, *Petro Andrea Forzonio Accolto*, *Alexandro Segnio*, *Laurentio Magalottio*, *Vincentio a Filicaria*, Fratre *Thoma a Bene Coſmi III.* M. D. a regali cubiculo, cum celeberrimis demum Iuriſconſultis *Francisco Maria Corſignanio*, & *Berterinio*, qui V. Eidus Septembres A. MDCCXX. Auguſtam Taurinorum a Sapientiſſimo illo Rege vocati fuere ad emendandas digerendaſque leges, & in unum codicem redigendas; & cum infinitis prope aliis huius noſtrae civitatis doctiſſimis viris nobiliſſimisque ſumma ei erat neceſſitudo. Ex Cardinalibus vero S. R. E. maxime coluit *Henricum Noriſium*, *Petrum Ottobonum*, *Carolum Auguſtinum Fabronium*, *Nicolaum Spinolam*, *Alamannum Salviatum*, ceteroſque alios, quos in Hiſtoriae curſu nominavi. Romanos vero Praeſules dilexit *Marcellum Saverolum*, & *Ser-*

gar-

gardium, qui Satirarum *Q. Sectaui* creditus eſt auctor. Cum iſtis enim eruditas vigilias ſemper egit, quoties Romae eſſet; praecipue quum mortuo *Innocentio XII.* ad Vrbem Aeternam venit pridie Kal. Octobres MDCC. ibique diu manſit cum ſuo *Franciſco Maria* Cardinali *Mediceo* ad novi Pontificis comitia, qui mox fuit *Clemens XI.* Ex numero autem exterorum ſolum nominabo *Henricum Nevvtonum* Britannum Legatum A. MDCCV. ad *Coſmum III.* Magnum Etruriae Ducem; *Ioannem Walterum* Danum, qui Regiae Familiae Praepoſitus Florentiam venit Eidibus Martiis MDCCVIII. cum *Friderico IV.* Daniae, & Norvegiae Rege; *Ioannem Bucquelium* Septemviri Palatini Bibliothecae Praefectum; *Henricum Brenkmannum* Batavum, qui A. MDCCXI. ad Florentinos Pandectas deſcribendos huc profectus eſt. Quid de *Hieronymo Archinto* dicam, Pontificio ad Polonum Regem Ablegatum, quo cum epiſtolare commercium habuit uſque ad A. MDCCXXI. quo Praeſul tantus Varſoviae obiit? Quid de *Gaſtone Gorino* Marchione, & Vate Mediolanenſi, qui A. MDCCXXXV. Florentiam profectus hunc noſtrum ſibi fama cognitum ſubito adivit, ut plerique exterorum faciebant? *Chriſtianus* vero *Henricus* ex Comitibus *Watzdorff* e gente Saxonum, Poloniae Regis Adminiſter cum abſoluta potentia ad Italiae Principes A. MDCCXXV. feſtive negabat ſe coenare, niſi ſemper cum *Ioanne Baptiſta*, qui pretioſa gemma fuit etiam ab eo donatus; & identidem cum *Antonio Maria Salvinio*, *Franciſco Marmio*, *Scipione Maffeio*, *Gorio*, Comite *Felicio*, *Ghivizzanio*, ceteriſque aliis eru-

eruditis hominibus, coenaret. Hunc laudabilem morem generoſus Comes a patriciis Florentinis accepit, qui tunc temporis literatos viros amicius inter ſe iunctos ſemel in hebdomada domi excipiebant, eruditiſſime ſecum colloquentes audiebant, eos ſuavi cocolatis potu, vel iucundiſſimis conviviis, recreabant. Hinc eruditi coetus celebrantur Senatorum *Pandulphi Pandulphinii*, *Marcellii Malaſpinae*, Equitis *Ambrae*, Marchionum *Gabrielis Riccardii*, *Franciſci Feronii*, maxime vero *Dantis Coſmi Catellinii a Caſtellione*, qui non modo Eruditos quoſque iuxta notum Sibyllae iocum differentes, Vates extemporales, ſuaviſſimos fidium pulſatores, ad lautiſſimas coenas, quibus & ipſe interfui, invitat; ſed etiam regiam magnifici *Laurentii Medicei* beneficentiam aemulatus, Platonis Συμπόσια feſtiviſſima paucis ab hinc annis inſtauravit. Ad huiuſmodi conventus, pluresque alios privatorum amicorum, quas Academias *Acerborum*, *Deformium*, *Invidorum*, *Evangeliſtarum*, dixere, itabat *Ioannes Baptiſta*, atque in illis incredibile dictu eſt quam aculeatas vibranteſque facetiarum ſententias, quot iocos, quot verſus, funderet! Quorum pleraque ſicuti & aliorum acute iocoſeque dicta collegit amantiſſimus praeceptor meus in Graecanica literatura *Angelus Maria Riccius* in opere manuſcripto, quod ipſe inſcripſit *Geniales vigilias literatorum aliquot amicorum*: in quo opere quidem ſeria cum ludicris admiſcendo, multa non adeo pervulgata, & contrita, cum gravis, tum iocoſae eruditionis monumenta ab oblivione hominum, & interitu temporum vindicantur. Denique ſequioris etiam ſexus do-

ctio-

ctiores feminas ſibi adiunxit, *Silvagiam* in primis *Borghiniam* Piſanam Poetriam, linguis, ſcientiis, & *Tertulliani* interpretatione Italica celeberrimam, cuius plurimae ad hunc noſtrum epiſtolae in privata Riccardiana Bibliotheca exſtant; *Mariam Tereſiam Strozziam* Principem Romanam, quae ei annuam frumenti portionem elargita carminibus eius plurimis libenter aures praebebat; *Lauram Angelelliam Mareſcottiam*, Matronam Bononienſem eruditiſſimam, una cum Principe *Trivultia*; clariſſimam alteram Mediolanenſem *Cloeliam Grillam Borromaeam*, cuius nomen virtuteſque plurimas librorum ac praecipue Philoſophicarum Tranſactionum Praefationes commendant. Sic omnium deliciae & amor factus *Ioannes Baptiſta* in literaria Republica promeruit numiſma maximi moduli, opus *Antonii Selvi*, in cuius antica parte viva eius effigies, in poſtica vero Comica & Mercurius exhibentur cum epigraphe: *Prodeſſe & delectare*. Eum etiam ad immortalitatem nominis Eques *Petrus Ughius*, *Petrus Dandinius*, *Iulius Pignatta*, & *Ferdinandus Rieter*, pinxere. Verum ut ut deteriora ſemper in dies morte Principum noſtrorum & rerum perturbatione tempora inciderunt, tanto viro defuturum erat profecto ſubſidium ſenectutis, niſi locupletiores familias, *Ginoriam* nempe, *Martelliam*, *Strozziam*, *Antinoriam*, veteri conſuetudine & perenni obſequio ſibi devinxiſſet. . . . .

At bene, ut in duris, res vertit Corſius ille
Dives, & antiquis clarus imaginibus:
Magnanimos imitatus avos, nec paſſus egere,
Cenſusque expertes vivere Pieridas.
Aera viro large procedere menſtura iuſſit:
O fa-

O facinus quo non dignius Hiſtoria!
apte non minus quam eleganter cecinit Florentinus Poeta Latinus *Carolus Rotius* Soc. Ieſu in carminibus ſuis Patavii editis apud *Cominum* A. MDCCXLI. quum *Franciſcum Xaverium* huius noſtri filium immatura morte praereptum defleret. Enim vero unus fuit *Antonius* ille *Corſius* Calatinorum Marchio V. Pauperum Pater vulgo dictus, qui veteris famae tanti viri reminiſcens, & eius aetatis & inopiae miſeritus, indigentem adiuvit, deſtitutum recepit, largiſſimo ſtipendio, benevolentia, familiaritate, complexus eſt. Vetus hoſpitium, quod cum *Ioanne* patre ſuo *Fagiolius*, ut diximus, habebat, cum eo non modo renovavit; ſed etiam patentem domum, opes, ſuaque omnia, magnificentiſſimus Moecenas alter illi obtulit, & ad eius uſque obitum revera praeſtitit. Hunc iucundiſſimis narratiunculis, feſtiviſſimis, incolumi tamen gravitate & chriſtiana modeſtia, iocis & ſalibus, nativo carminum lepore, ſcatentem ſemper adhibebat ad menſam ſuam, ducebatque ad amoeniſſimas ruſticationes cum in Monte Vgonis, tum in altera magnificentiſſima villa, quae a ſexto ab urbe lapide cognomen habet. Ipſe particeps domeſticarum erat omnium animi remiſſionum, quas *Antonius* regio vere animo ſibi una cum tota familia ſua ſumebat. Sciendum enim *Corſiorum* domum ſub *Antonio* olim, & modo regente eam *Ioanne* filio, Calatinorum Marchione VI. paterni animi & virtutum herede, ſemper optimis viris, & peritiſſimis liberalium omnium artium profeſſoribus, ad praeſidium, & dulce decus patuiſſe; ut

venuſtiſſimus Poeta *Gabriel Chiabrera* teſtis eſſe poteſt; praeter immenſas in pauperum uſus largitiones, quibus de omnibus optime ſemper merita praedicatur. Huic itaque familiae tribuatur, ſi etiam *Ioannes Baptiſta* noſter bono animo & ſecuro, otioque literario ſibi parto, valuerit uſque ad extremos vitae ſuae dies iucundiſſime ſcribere. Poſtremae enim lucubrationes eius fuere nonnulla Italica Epigrammata, quae ex centum & amplius contra adfectatam Poeſim compoſitis pridie ante inopinatum obitum ſuum in erudito coetu Marchionis *Franciſci Ferronii* recitaverat; & Poemation illud contra animi aegritudinem, quod miſit ad *Ioſeph Mariam Brocchium*, Florentini Seminarii tunc ſapientiſſimum Moderatorem, quo ipſe, tamquam Theologus & a ſacris confeſſionibus Marchionis *Antonii Corſii*, conſolaretur eius triſtitiam, qua ille primo naturae vitio laborans, mox correptus apoplexi ingraveſcente ob mortem acceptam *Ioannis Baptiſtae* ſui, bonorum fato obiit XIII. Kal. Septembres A. MDCCXLIII. Ipſe etiam tandem octogeſimum tertium annum agens ſubita inteſtinorum luxatura, dum ventrem exoneraret, ultimos ſibi dies adeſſe ſenſit; & confeſtim ſumma animi pietate & conſtantia Eccleſiae Sacramentis rite ſuſceptis, bene actae vitae conſcientia fretus, conſuetis facetiis, & vultus hilaritate, moerentes amicos, praecipue vero *Angelum Ceccherinium*, *Corſiorum* aerario praefectum, & teſtamenti ſui curatorem, adloquutus, pluribus pene exanimis manu ſua ſcriptis, & obſignatis codicillis, pronuntiatoque *Varronis* dicto, *annus octogeſimus tertius*

tius admonet me, ut ſarcinas colligam, laetus e vivis exceſſit IV. Eidus Iulias A. MDCCXLII. ſepultuſque eſt in regali Ambroſiana Baſilica *D. Laurentii*, avito tumulo *Antonii Mariae Biſcionii*, amici ſui cariſſimi, ut *Ennius* alter in ſepulcro *Scipionum*. Fuit *Ioannes Baptiſta* excelſa potius ſtatura, corpore aequali ac congruenti, ſed gracili; ſpatioſa & paullum rugoſiore fronte, vegetis oculis, ſupercilio hilari, adunco, ſive, ut aiunt, aquilino naſo, mento prolixiore, ore latiori, perpetuo rubeo colore, tranquillo ſerenoque vultu, Cynicam non nihil praeſeferente formam, membris firmis, & compactis; quippe qui proſperrima ſemper uſus eſt valetudine. Quae omnia quoque adnotarunt eruditiſſimi Auctores Nunciorum Literariorum, quae ſingulis hebdomadis Florentiae cuduntur Tomo III. num. XXIX. Par. II. quo tanti viri obitum denunciant. Laboris fuit ſupra modum patiens, in iram & dicacitatem proclivis, ſed omnibus adfabilis, comis, honeſtus. In maiores obſequio, in pares amore, in infimos facilitate acceptiſſimus. Legendo ſcribendoque tam adſiduus fuit, ut de eo etiam dici poſſit, *fabrum potius defuiſſe labori, quam laborem fabro;* ut ex elencho operum & maxime MSS. inferius ſubiiciendo patebit. Humanorum morum ſcrutator cautiſſimus, & corruptorum oſor, & inſectator acerrimus fuit, qualem deſcripſit Vir Cl. *Antonius Franciſcus Gorius* in elegantiſſimo elogio ſuo, quod anno MDCCXLIII. edidi una cum funebri oratione Etruſca de laudibus *Ioannis Baptiſtae*, cuius conſcribendae auctores mihi hortatoreſ-

que fuere *Salvinus Salvinius* Canonicus Florentinus; & idem *Gorius*, quum ipſo huiuſce obitus die in Goriana Bibliotheca inter nos, qua caritate & amore ſumus in patriam; & cives noſtros, devincti, conloqueremur de huius noſtri gloria ab interitu, & temporum oblivione vindicanda. Hiſce laudabilibus quidem coeptis & officiis, quaſi praeſens Numen aliquod, adfuit, & adeo obſecundavit, Canonicus alter Florentinus *Ioſeph Paſchalius*, Apathiſtarum Academiae Praeſes, ut neque ſumtibus, neque laboribus, & curis, parcens, quo lugubri adparatu, nobilium & literatorum hominum frequentia, pompa eſſet decentior, ſolemnem (qualis numquam antea) Academicorum conventum habendum inſtituerit XIII. Kal. Ianuarias A. MDCCXLIII. qui poſt recitatam a me, qualiſcumque ea fuerit, orationem, laudes; & promerita tanti Collegae triginta Poeticis elucubrationibus Graece, Latine, Etruſce canerent, & extollerent. Quod officii genus non modo praeſtitum viro illi de literis & Academia optime merito; verum etiam Moecenatis eius *Antonii Corſii* nomini & gloriae redditum fuiſſe creditur. Hoc enim conſilio primus omnium Tridentinus Pater *Iulius a Sancto Ioſeph* ex Clericis Regularibus Scholarum Piarum, & tunc temporis in Florentino Collegio Rhetorices Profeſſor, varia politiſſima Latina carmina cum Praefatione recitanda ad laudem *Ioannis Baptiſtae* tradidit ſuis diſcipulis in proxima Autumnalium Feriarum exſpectatione; & amicus meus *Antonius Gaſpar Franchius* S. Th. D. & in regiae D. *Laurentii* Baſilicae Gymnaſio

Mo-

Moderator cultiſſimam conſcripſit Elegiam, quam eo libentius profero, quo, ſi non initium ſplendidum, ſaltem finem incomtae huic narrationi tamdem imponam.

Sic DI te incolumem nullo non tempore ſervent,
Et, fera quae morbi vis premit, amoveant.
Sic tibi reſtituant haerentem in corpore motum,
Moecenas auro conſilioque potens.
Vidi ego Pierides paſſis deflere capillis;
Atque tibi caſus extimuiſſe graves.
Namque ſalutatum veniens vir Mercurialis,
Te patrem ac numen ſenſit adeſſe ſibi.
Senſit adeſſe ſibi Fagiolius aureus, inſons,
Praecinctus ſertis tempora Apollineis.
Te ſine quem ſemper voluit Fortuna iacere:
Fata ſuis fuerant aſpera carminibus.
Quam bene callebat molles componere verſus,
Quos facile effudit largius ingenium.
Feſtivum caput immiſcens riſuſque iocosque
Multo condivit dulcia dicta ſale.
Antoni potuit generoſam flectere mentem
Non prece, ſed blandi carminis obſequio.
Ex hoc fonte fluit victus ſibi copia; raro
Sors venit ad vatum, teſtor, amica preces.
Largus magna dedit, forſan maiora daturus,
Moecenas, Indas fundere promtus opes.
Magna dedit quum Menandrum retuliſſe theatris
Etruſcis viſus, multa docens placuit.
Et quum morderet nullum umquam offendere cautus:
Scitus rite modum ponere nequitiae.
Et mores hominum caſtigans carmine, mille
Cantus adſperſit dictaque blandiciis.

 Heu

Heu placuit patiens adverſae incommoda ſortis,
Quum vix detonſus filius occubuit.
Ac veluti ventis rupes immota reſiſtit,
Siccis fata oculis aſpera ſubſtinuit.
At cui non placeat quae frangi neſcia virtus,
Regnans in forti pectore robur erat?
Firmavitque animum, qui non conceſſit amori,
Atque premi haud potuit mens agitata malis,
Infans, quum periit vixprimum limina vitae
Ingreſſus, ſibi ſpes una relicta domus.
Quam bene tum verſuque loquens, verbisque ſolutis,
Miſcebat triſti cum gravitate iocos.
Audiſtis? ſapiens & multa Pallade plenus
Saepe fuit gravis & dulcis in adloquio.
At fato ceſſit noſtri vir ſola voluptas.
Lacruma quanta meis decidit ex oculis!
Vos, Muſae; vos, o Charites, ad funera greſſus
Vertite; nam periit qui modo veſter erat.
Moecenas vocat ad lacrumas; maneſque beatos
Donare extremis vos iubet officiis.

Eius opera edita Florentiae ſunt ab anno MDCCXXIX. uſque ad annum MDCCXXXIV.

Rime Piacevoli di Gio. Batiſta Fagiuoli Tomi VI. in 4. per Franceſco Moucke, e Michel Neſtenus.

Commedie Tomi VII. in 8. A. MDCCXXXIV.

Proſe in 8. A. MDCCXXXVI.

Lucenſis editionis eadem ſupradicta carmina ſunt iiſdem annis, quibus ſuperius.

Tomi VI. in 8. grande. Per Salvadore, e Gian Domenico Mareſcandoli.

Ho-

Horum omnium carminum difficiliora loca brevibus adnotationibus explanavit vir Cl. *Antonius Maria Biſcionius*.

Septima Pars Poſtuma Carminum Florentinae Editioni, & priori Lucenſi, adcommodata A. MDCCXLV. cum qua rurſum cuſa eſt oratio funebris mea cum notis & numiſmate aeri inciſo.

Varia etiam Carmina ſparſim antea Neapoli ſub titulo, La Fagiuolaia, *& ficta Amſtelaedamenſi editione*, & ſimul cum *Franciſci Berni* carminibus legebantur; de quibus vide ipſius *Fagioli* Praefationes, & orationem meam.

Sub praelo Lucenſi.

Octava Carminum Pars eodem modo, quo ſupra.

Sub praelo Florentino

Commedie per uſo delle Monache, curante me. Eius vero Manuſcripta omnia ſexaginta Florentinis ſcutatis privatae ſuae Bibliothecae comparavit Ampliſſimus Marchio *Gabriel Riccardius* Florentinus Hypodecanus: ſunt autem.

Ex editis, ineditiſque Comoediis partim ſuis partim alienis, Tomi XIII. in fol.

Comoediae, Orationes, Colloquia, Antonii Franciſci Grazzini, vulgo il Laſca, *in fol.*

Miſcellanea ad extemporales Comoedias in fol.

Inſtitutionum Legalium excerpta in fol.

Polyanthea ad ſacras habendas conciones in fol.

De Florentina Hiſtoria Bartholemaei Cerretani Libri ſex in fol.

Varia diverſorum Etruſca Carmina in fol.

Variorum Dramata in fol.

Privata Familiarum, & patriae Hiſtoriae Monumenta in fol.

Quaeſtionum Criminalium, ineditorum veterum librorum, Sylloge una cum Florentinorum Epiſcoporum Serie Chronologica contexta per Simonem Baldium, vulgo della Toſa, *MCCCLXX. in fol.*

Exemplar literarum, factorumque pro Rege Chriſtianiſſimo bellante adverſus Carolum V. Imperatorem in fol.

Vitae Cardinalium ſcriptae ab Horatio ex Comitibus ab Ilice. in 4.

P. Sicei, & Hannibalis Cari Opuſcula inedita cum notis Petri Arretini in 4.

Variorum Poemata Etruſca, & Latina Tomi III. in 4.

Variorum Poemata multa ſparſim edita, collecta in Tomos V. in 4.

Variorum Poemata, Literae, Narrationes, Apologi. Tomi X. in 4.

Memorabilium Tomi XXIV. in 4.

Variorum Comoediae a ſe transſcriptae Tom. XXIV. in 4.

Literarum omnium, quae ad eum miſſae ſunt, faſciculi complures.

Diarium, in quo ab Anno MDCLXXII. uſque ad penultimum mortis ſuae diem omnia, quae vidit, audivit, acciderunt, tranſcripſit ipſe ſingulis diebus, antequam dormitum iret, exemplo ſingulari, labore improbo.

GREGORIVS REDIVS.

Franciſco Cecchio Auctore.

QVanti ab omnibus factus ſit, quot ubique terrarum plauſus promeruerit celeberrimus, & vere literarum reſtitutor, & apex, *Franciſcus Redius* Arretinus, ſatis omnibus patere, & illos latere minus, exiſtimo, qui in eminentiori ordine inter literatos homines vel conſpiciuntur, vel ſaltem habiti ſunt ſapientiores. Illius vitam ſcribere animo conſtitueram Latino idiomate; ſed duo praecipue ut ab hac ſententia diſcederem in cauſſa fuerunt; & haud pertinere ad vertens ſaeculum eius elogium, & perſpicue quidem a doctiſſimis viris iam expreſſum fuiſſe; & ab *Salv. Salvinio* Canonico ampliſſimo, & celeberrimo, praecipue vitae eius donum nos habere. Quae dum ita agitabam, ſtatim mihi venit in mentem alterius *Rediae* familiae decoris & ornamenti *Gregorii*, qui ex celeberrimi *Franciſci* fratre *Didaco* ortum duxit, patrui non tam bonorum, quam ſapientiae, & doctrinae ſingularis, heres fortunatiſſimus. De eius vita quaedam literis mandare inſtitui, non pro dignitatis eius amplitudine; ſed pro ingenii mei tenuitate. Natus eſt *Gregorius Redius*, Arretinus Patricius, militaris Ordinis D. *Stephani* Eques Baillivus, ut vocant, Idibus Auguſti MDCLXXV. ex *Didaco Gregorii F. Redio*, & *Clara* nobiliſſimi Equitis *Laurentii Gamurrini* F. optima, & pientiſſima femina Arretina, in amoeniſſimo urbano fundo

ſuae

ſuae familiae, ad urbem Arretinam, vulgo *Hortis* adpellato, quem *Franciſcus* in famigerato Dithyrambo, qui *Bacchus in Etruria* inſcribitur, non ſine laude commemorat. Quum *Gregorius* ad octavum aetatis ſuae annum perveniſſet, patre orbatus eſt; quare in tutelam duorum patruorum, *Ioannis Baptiſtae*, & *Franciſci Rediorum*, devenit. Illi, quum in puero inſitam eſſe quamdam animi alacritatem, ingeniique perſpicuitatem, dignoſcerent, vel ex verbis acute dictis, vel ex reſponſis argute apteque relatis, iure meritoque magnam de eo conceperunt exſpectationem. Quam ob rem nullam praeterierunt ſolicite excolendae mentis illius occaſionem, informandaeque tum pietate, tum litteris pulcrioribus. Id in cauſſa fuit, ut *Gregorius* Senas mitteretur ad perilluſtre Collegium Ptolemeium, in quo literarum ſtudia ita adgreſſus eſt ſubito, arteſque nobiles, ut non exiguum dederit citiſſimum ſpecimen eruditionis. Grammatices ſtudiis, Humanitatis, nec non Rhetorices, ſpatiis a *Gregorio* vix, ſed magna cum laude, confectis, Poeſeos fontes ſe dulciter delibaſſe ab ea uſque aetate demonſtravit. Etenim nocturna, diurnaque manu Poetas verſando, tantam apud omnes illius celeberrimi Conventus praeſides & alunnos adſequutus eſt exiſtimationem in poeticis ſuavitatibus, ut ad eum confugerent, ſi quando aliquid poetico numero exponendum fuiſſet neceſſario. Plures Prologos, & Exodia, compoſuit occaſione Comoediarum, quae in illo Collegio agebantur, in quibus culti ingenii ſui, & poeticae facultatis, ſpecimina miro modo emicuerunt;

runt; & non tantum privatis, ſed publicis etiam, Academiis variorum carminum lectione ſe praebuit demirandum. Quamvis autem venuſtate, & lenitate, carminis duceretur, non ideo philoſophicas tractationes averſatus eſt, quas in deliciis quoque habuit; & Philoſophorum ſaepe, & lubenter, volutabat interpretes, utpote veritatis detegendae, inveſtigandaeque, avidiſſimus. Decimo & octavo aetatis anno expleto, ſimulque Philoſophiae ſtudiis omni ex parte confectis, in patriam ſeſe recepit, ubi in Academiam *Fortiatorum*, quae fuit prima ab Arcadia Romana deducta Colonia, nomine *Antonii Manturenſis*, adſcitus fuit. Valde difficile eſt edicere quantum eruditis conventibus illis profuerit, quam in melius reformaverit ſociorum ſenſus & exercitationes literarias. Ipſe non ſolum per ſe frequens aderat illis coetibus, oratione hortabatur, exemplo excitabat; ſed aliis etiam, praeſertim iunioribus hominibus, ſuam erudiendis impendebat operam. Hinc factum eſt, ut omnes populares, tamquam literatorum principem, in ſua civitate *Gregorium* venerarentur, & ſe vere felices exiſtimarent ii, qui cum illo amice agere, & familiariter eo uti, poſſent. Poſt duos annos Florentiam ſe contulit, ubi primum inter Academicos, vulgo *della Cruſca* dictos, cooptatus eſt; dein in nobilium conventu, fere ſub id tempus a maximo Principe *Ferdinando* nobilibus iuvenibus exercendis, erudiendiſque inſtituto, egregias equeſtreſque artes tractavit; & in Academia Apathiſtarum, ad quam adſidue conveniebat, oſtentandi ingenii ſui vim & prope divinam facultatem, campum habuit

buit apertiſſimum, & communem omnium laudem adeptus eſt. Hac occaſione literatos plurimos habuit familiariſſimos, quos inter celebrem *Antonium Mariam Salvinium*, & ſuum grandis nominis patruum, *Franciſcum Redium*, cum quo per duos integros annos convixit, donec ſenex ille ornatiſſimus naturae tamdem conceſſit; anno ſcilicet MDCXCVII. Hoc eodem anno coniugio inito cum *Anna Maria*, *Horatii Azonii*, & *Honeſtae Sanſedoniae* filia, Senenſi clariſſima, atque optima femina, iterum ad patriam remeavit. Ex ea XV. liberos ſuſtulit, novem mares, qui fere omnes literaturam non mediocrem adſequuti ſunt, & potiſſimum *Didacus* e Ieſuitarum coetu, virtute, & literis perquam clarus; & ſex femellas, magnum monaſticarum familiarum incrementum. Quamvis autem non mediocre impedimentum haberet *Gregorius*, tum ex variis multiplicibuſque muneribus, & magiſtratibus, quos gerebat, tum ex numeroſae prolis educatione, curiſque domeſticis; attamen ſubſecivis horis, & quieti debitis, quum florenti aetate vernaret, amoena ſtudia Poeſeos, variaque eruditionis genera perſequutus eſt avidiſſime. Maximam ſemper habuit de eius ſapientia, & doctrina exiſtimationem Magnus Dux *Coſmus III.* unde non tantum benevolentiam illi ſuam ratam fecit, verum etiam multis eum inſignivit beneficiis, & honoribus cumulavit. Decoravit enim inſigni titulo ſui Armigeri; res, & negocia ad Arretinam Civitatem pertinentia eius probatae fidei commiſit; civiles diſcordias componendi negocium ad eum detulit non ſemel

tan-

tantum, ſed quandocumque opus eſſet. Siqua vero occaſio patriae obveniret, in qua eius opera uti cives poſtularent, patriae ſedulo proſpiciebat, & non tantum conſervandae dignitati illius prodeſſe viſus eſt, quantum ad augendam eius amplitudinem extollendamque plurimum incubuiſſe, omnes boni, uno ore, & ſenſu, profeſſi ſunt. Etenim pluries ad convenientos viros honore conſpicuos, illa tranſeuntes, publice eſt deputatus; illi officiis plenas epiſtolas publico nomine conſcribendas fere ſemper demandarunt; & anno MDCCXII. agendarum gratiarum cauſa ad Pontificem Maximum *Clement. XI.* fuit delegatus, eo quod popularem ſuum Cardinalem *Franc. Caſinium* ſacrae Purpurae decoratione inſignire grato, & clementi animo voluerit. Hac occaſione Cardinali etiam *Caſinio* publicis vocibus gratulandi ſubſcepit officium, & in ea legatione maxima dignitate, & magnis ſuis ſumtibus, patriae totius exſpectationi large, & mirifice, ſatisfecit; idque ut magis atque magis adparere poſſit, referam epiſtolam, quae ab ipſomet Cardinali *Caſinio* Praeſidi Generali Capucinorum P. *Cataſtinio*, Arretii tunc temporis degenti, ſcripta fuit; quae Latinis verbis reddita ſic habet:

Reverendiſs. D. Patri Generali Cataſtinio
Franciſcus Maria Cardinalis S. Priſcae S. D.

Diſceſſit hinc Dominus Bailivius Redius & quantum in hac urbe (quae ſola recta eſt rerum aeſtimatrix) ſibi, ſuaviſſimiſque ſuis

qua-

qualitatibus, conciliaverit exiſtimationem, P. V. R. edicere minus valeo: ipſe omnem ſecum tulit laudem totius patriae; & Pontifex Maximus poſtquam eum ad deoſculationem ſacrorum pedum admiſit, de eo mihi multum commendans verba fecit; & multi Cardinales qui cum eo congreſſi ſunt maximi ob tantum civem noſtram civitatem fecerunt. Meum illi obſequendi deſiderium teſtatum perſpectumque voluiſſem, & ſi nihil amplius feci, ſaltem quatenus pro Romana conſuetudine decet, obſequium ei exhibui. Ad domum eius acceſſiſſem iter auſpicatum ei auguraturus, niſi in eodem hoſpitio moratus fuiſſet, ubi degebat Cardinalis quidam, quem nondum honoris cauſſa conveneram. Attamen de hac mea voluntate illum feci certiorem. Tantum equidem illi me debere putabam & patriae meae, cui ſemper amoris argumenta plurima praebiturus ſum. Paternitas tua R. ubi cum eo conloquetur facile poterit illi perſuadere hoc mei animi deſiderium. Interea Paternitati tuae felicia fauſtaque natalis Domini noſtri I. Ch. ſolemnia exoptans, rogo ut me, apud Deum, adſiduis precibus commendatum habeat.

Dabam Romae XVI. Kal. Ianuarias MDCCXII.

Iterum in patriam reverſus, ſtudiis variorum generum ſe totum mancipavit. Scripſit enim plures orationes tum Latino tum vernaculo idiomate, illaſque recitavit in nobilium & pereruditorum hominum conventu, tanti ani-

mi

mi contentione, ut ſociorum, & auditorum omnium in eum ora, atque oculi continuo converſi conſpicerentur. Sub id ferme tempus primam manum adpoſuit celebri Davidicorum Pſalmorum in Italicam linguam verſioni, quam quidem inſigni elegantia, concentu ſuaviſſimo, nec non perſpicuitate mirabili, Tuſcanicis verſibus abſolvit, typiſque deſcribi fecit, tanto Literatorum plauſu, & admiratione, ut doctorum virorum promeruerit acclamationes, quae eidem egregio operi praefixae ſunt. Nec hic limites habuit tanti viri eruditio, & ſapientia. Etenim doctiſſime interpretatus eſt antiquam Inſcriptionem vetuſti lapidis Calatii inventi, quae eo compulit *Gregorium*, ut Diſſertationem de Diis Adhaerentibus ederet eruditiſſimam in ſecundo Tomo Diſſertationum Etruſcae Academiae Cortonenſis. Ipſe illud argumentum tractandi provinciam ſubſcepit, adeo difficilem, ut eam detrectarint quodammodo *Melchiorius*, & celebris *Ioannes Baptiſta Donius*; & vir praeſtans *Ant. Franciſcus Gorius* ingeniis reliquerit felicioribus. Eruditiſſima haec de *Diis Adhaerentibus* lucubratio paſſim Graecis, & Latinis teſtimoniis redundans digreſſionem habet elegantiſſimam de formula, quae in lapidibus *Deo Mithrae* ſacris reperitur. Formula haec eſt: *NAMA*, *Nama Sebeſio*, *Nama cunctis*. Hanc multipliciter, atque erudite, *Gregorius* explicat; attamen celeberrimus Pater *Martinus*, Monachus Maurinus, Gallicae nationis grande ornamentum, diſſentire ab eo quodammodo videtur, & tantum illi inhaerere declarationi, quam fert de Graeco vocabulo

(*νά-*

(νᾶμα) quod ad fontem referri , & ad aquarum derivationem ſignificandam adhiberi , probabile eſt. Quare ſive ſit ſolus *Nama*, ſive *Nama Sebeſio*, ſive *Nama cunctis*, idem deſignare credit, & non aliter ſonare, quam verba illa Prophetarum, quae Chriſtum *Fontem* nuncupant : & illa *Iſaiae : Omnes ſitientes venite ad aquas* : & *Zachariae : Fons patens domui Iacob:* & S. *Ioannis: Fons aquae ſalientis in vitam aeternam*. Ex hoc perſpicue elaborato, & perfecto opere ſatis elucere puto *Gregorii* peritiam in antiquis rebus, vetuſtiſque monumentis divulgandis, ſimulque Graecanicam literaturam plurimum callere. Sed ſi quid amplius de hac eius excellenti doctrina inveſtigare voluerimus, praeſtat nobis tempeſtivum aditum Latina Epiſtola de Arretina Civitate, pervetuſtiſſimiſque illius reliquiis, & ſingularibus monumentis, ab eruditiſſimo Domino *Ant. Franciſco Gorio* publici iuris facta in ſecundo Tomo Antiquarum Etruriae Inſcriptionum. Quum autem annus verteret MDCCXL. uxore e vivis erepta, in agro Senenſi, viduatus eſt. Sexageſimum quintum aetatis annum non exceſſerat *Gregorius*, quando tam acerbus adverſae fortis nuncius (quem tamen forti animo accepit, & conſtanti) ad eum delatus eſt. Quo facto in Clerum fere ſub id temporis cooptari poſtulavit, & privilegio interſtitiis temporum, aliiſque Canonicis impedimentis, remotis a Pont. Max. *Benedicto XIV*. Sacerdos ordinatus fuit ab Illuſtriſſimo Domino *Carolo Philippo Incontrio* Epiſcopo Arretino, viro quidem tum ſapientia, tum pietate, & meritis

in

in Rempublicam literariam conſpicuo, qui e-xemplo, hortatibus, & effuſa liberalitate, ſtudia, bonaſque artes, in ſua Dioeceſi promovere numquam deſtitit; id quod in cauſſa fuit, cur novum a fundamentis Seminarium Arretii, magno ſumtu & vigilantia, exſtruendum curaverit, ſuae munificentiae perenne monumentum. Quoniam vero praecipuam cum *Benedicto XIV.* Pontifice vere Optimo Maximo, inierat familiaritatem uſque ab iterato tranſitu, quem fecit Arretio, quum adhuc in Praeſulum numero exſiſteret, promeruit *Gregorius*, ut ab eodem in ſuum Praeſulem Domeſticum eligeretur, Epiſtola, IV. Nonas Martias ad eum data; cuius honoris cauſſa Sanctitati eius Latinis, & perelegantibus literis gratias egit maximas, & incredibiles; quibus id reſponſi iuſſum fuit a Pontifice, quod praecipuam erga illum tanti Hierarchae exiſtimationem preſeferret, quodque ita habet:

Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domino Gregorio Redio Summi Pontificis Benedicti XIV. Praelato Domeſtico.

Io. Carolus Boſchius eidem Domino Noſtro Papae ab intimo cubiculo S. P. D.

Iubet me Sanctiſſimus Dominus Noſter tibi teſtificari, pergratas ſibi fuiſſe literas tuas, quibus perceptam animo laetitiam, pro ea dignitate, qua te auctum, ornatumque voluit, cumulatiſſime ipſi declaraſti. Et ſane quum illud Beatiſſimo Patri propoſitum fuerit, ut pro veteribus

tuis amoris erga ſe, obſervantiae, atque officiorum, meritis, aliquid apud te benevolentiae, ac voluntatis ſuae argumentum ſtatueret, id tibi jucundum accidiſſe, libentiſſime adſpexit, ac perſpectis grati animi tui ſignificationibus laetatus eſt. Optaret equidem, ut tibi liceret apud ſe eſſe, atque hanc aulam, quam ipſo iam nomine in Literaria Republica clariſſimo exornas, praeſentia etiam tua, atque opera, illuſtrares. Sed nihil anteferendum putat valetudinis tuae ſtudio, cujus ut ſedulam rationem habeas, ipſe te vehementer hortatur. Apoſtolicam vero Benedictionem, quam petis, tibi amantiſſime impertitur; quamque ipſi, in ornamentis tuis amplificandis, iiſdemque nuperrime adſerendis, propenſam erga te voluntatem ineſſe expertus eſt, eam ſibi perpetuam fore confirmat. Vale,

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domine.

Romae A. D. IV. Kal. Maias MDCCXLI.

Anno MDCCXLIII. in integram valetudinem reſtitutus Romam contendit Summo Pontifici praeſens gratias acturus, a quo maximis benevolentiae ſignificationibus ita exceptus fuit, ut per duas horas illum adloqueretur in Pontificio viridario Quirinalis Palatii, una ſecum deambulans, adſiſtenſque etiam in porticu illarum aedium; nec aliter ſe geſſit in Caſtro Candulfi, quo Gregorius perrexit, ut veniam peteret diſcedendi, quam demum obtinuit; diſceſſitque novis beneficiis ornatus, & Pontificalibus ubique locorum, Ordinariorum tamen conſenſu

imi-

impetrato, portatilique ara utendi, & ſpiritualibus aliis privilegiis cumulatus. Nunc, ſcilicet, hoc anno MDCCXLV. ſibi vivit, & literis, in patria ſua; & oh faxit Deus, ut hoc ſingulare virtutum omnium exemplar diutius apud nos vitam vivat. *Gregorius* literis probitatem, humanitatem, morumque ſuavitatem, tam bene copulavit, ut omnibus tam eruditis, quam minus literatis; tam nobilibus, quam mediocris conditionis, hominibus ſe praebuerit ſubſpiciendum, & imitandum. A natura etenim, & educatione, in pietatem admodum proclivis eſt. Sic igitur eius mores, & actus honeſtum frugique hominem, & civem honoratiſſimum, praeſeferunt. Ipſe non tantum ingenii ſui ubertate bene uſus eſt, verum etiam ampliſſimis ſuis facultatibus ſplendide ac laudabiliter utitur. In piis operibus adſiduum, pauperibus largum, moderatum, prudentem, adfabilem, manſuetum, continentiſſimum, merito eum praedicant boni omnes. Si qui autem fulgidiſſimo ſplendore *Gregorii* noſtri excaecati, invidi, inliteratique homines, ſcientiarum, & excellentium virorum inimiciſſimi, oſoreſque veritatis, ſcriptis acribus & perſonatis, & perpetuo *ἀνωνύμοις καὶ ἀδεσπότοις*, eius per totum orbem miro modo vagantem famam denigrare conati ſint, ii nebulones omnes ſuamet ipſi invidia, & animi pravitate extenuati & conſumti ſunt, & nunquam in apertum prodire, illique bellum manifeſte indicere auſi ſunt. Haec eſt bonorum omnium, & maxime literatorum, miſeranda conditio, ut ab iis fere morſus patiantur,

tur, qui vera ſunt literariae Reipublicae peſtis, nec in tota vita laudabile quicquam profeſſi ſunt. Multum eſt a laudato viro laudari: quo circa maximopere *Gregorio* gratulor, qui tantam apud bonos omnes. & de literis benemeritos viro, adeptus ſit exiſtimationem, ut eam teſtari, & publicam facere viri maximi gloriati ſint. Teſtati ſunt quamplurimi in libro Italicae Pſalmorum Interpretationis, ſuperius laudato. Teſtatus eſt *Fridericus Nonnius*, qui illius ſub auſpiciis validiſſimis Poema de *Budae liberatione*, Venetiis excuſum, poſteritati cenſuit demandandum. Denique vero Illuſtriſs. & Reverendiſs. itidemque ſapientiſſimus *Ioannes Bottarius* Pontificis Maximi Capellanus ſecretus, & S. Mariae trans Tiberim Canonicus, *Fratris Guittonis Arretini* epiſtolas publicas faciens; *Gregorio* dedicavit conſecravitque, & ad caelum uſque eximiis, ſed tamen iuſtis, laudibus eum extulit. Quare in Praefatione ita eum adloquitur Tuſcano ſermone, quem Latine verto: *Verum tales obſervationes fere nullius momenti eſſent & ad nihil aliud idoneae, quam ad moleſtiam Dominationi tuae illuſtriſſimae inferendam, cui nimiam equidem, tam prolixa ſermocinatione, me attuliſſe video, quamque rogo obteſtorque excuſatam habeas, & errorem admiratoris tui, qui tibi litteras mittendo, tua iucundiſſima & humaniſſima conſuetudine, tuis ſuaviſſimis moribus, tuiſque omnibus, quam late patent moralibus virtutibus, quae perpolitam tuam exornant eruditionem, tam bene per totam literariam Rempublicam perſpectam, frui ſe eſt arbitratus. Quae quidem cuncta te ad ſummum beni-*

gni-

gnitatis , atque officii apicem , apud Pontificem Max. Benedictum XIV. (qui vera novit merita diſcernere) iure pertraheret : quod officium toti terrarum orbi , adverſante invidia , teſtari voluit, dignitatibus te adeo conſpicuis illuſtrans. Et in Praefatione ad lectorem idem haec habet: *Plurimi veterum Tuſcanae linguae Scriptorum codices , penes ſunt Illuſtriſſimum , ac Reverendiſſimum* Gregorium Redium *SS. D. Noſtri Benedicti XIV. Domeſticum Praeſulem , clariſſimi , optimique ſui Patrui & ſcientiae & doctrinae heredem , ac apud omnes gentes , non modo ſuis venuſtiſſimis poematis , & praecipue elegantiſſima Pſalmorum Paraphraſi , ubique iam pervulgata , celeberrimum ; verum etiam diverſis aliis ingenii ſui foetibus , profunda & maxima eruditione adfluentibus , perſpectiſſimum . Magis atque magis adparebit literati huius viri ingens , & incomprehenſibilis dicendi copia , quum Horatii Flacci Paraphraſim vulgabit .* Hanc oratus legit manuſcriptam , laudavitque admiratus , & literarum Reip. maximopere profuturam pronunciavit , ſapientiſſimus *Ioannes Lamius* , Italiae totius grande & illuſtre ornamentum , Etruriae noſtrae florentiſſimae oraculum , omnigenarum ſcientiarum , & eruditionis ſupellectili ornatiſſimus . Si cui forte ſit animus huius Praeſulis praeſtantiſſimi occupationes praeſentes requirendi, idque a me ſciſcitari voluerit , ego iam illico , & indubitanter reſpondebo , dicamque , illum , quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad ſuas voluptates , & ad ipſam requiem animi , & corporis conceditur temporis , tantum tribuere ſtudiis ſolere , & maxime poetis recolendis . Res

 etiam

etiam poſtularet, ut aliquid de familiariſſimis eius, & de iis verba facere, quos ſibi literariis exercitationibus adiunxit *Gregorius*; ſed ne nimis longus ſim, relictis tum exteris, tum inſignibus Italiae viris, eadem brevitate utar, quam in exponendis eius laudibus multo pluribus, adhibui. Et hic oculis ſeſe obiicit meis *Antonius Redius*, alter filius fratris laudatiſſimi *Franciſci*, & dignus *Gregorii* frater, cui ſi longius vitam ducere datum fuiſſet, non res praeclare geſtae Arretinorum amplius in tenebrieoſo oblivionis carcere, ſitu & ſquallore preſſae, delitefcerent. Ille enim non ſolum oratoriis lucubrationibus ingenii ſui acutiſſimi ſpecimina praebuit; verum etiam Hiſtoriam Arretinam elaborandam ſuſceperat, & maiorem illius partem confecerat; & abſolviſſet etiam, niſi naturae debitum perſolvere ante diem ab invidis fatis coactus fuiſſet. Iunctos igitur *Gregorius* habet familiariſſime, ut ad popularium redeam enumerationem, eruditos, & literatos viros, qui in ea civitate (quae ſemper plures longe doctiſſimos producere conſuevit) reperiuntur, quique in literario orbe ſplendore nitidiſſimo in praeſens elucent, atque eminent. Ex his referam clariſſimum, & eruditiſſimum virum Marchionem *Torquatum Barbolanum Montacutium*, qui & ſi in occulto eſſe ſtudeat, & publici iuris facere nolit ingentem illam facultatem, multiplicemque eruditionem, quam ſibi comparavit; attamen virtus ipſa ſuperabundans profluit, & exteris etiam ſeſe notam facit, ne dicam nobis, qui omnes iam diu ab eo avidi exſpectamus Latinis carminibus redditum de *Orlan-*

lando Furioſo* editum a *Lud. Areoſto* poemâ, numeriſque omnibus abſolutum. Opus vere dignum tanto viro, qui pietate ſua in pauperes ſingulari, eximiis doctrinae ſuae laudibus, virtutem adiunxit etiam militarem, ut nuperrime a Sereniſſimo Magno Duce *Franciſco III.* unus ex primariis Cohortis Borboninae praefectis iuſſus ſit. Habet etiam familiarem eruditiſſimum Equitem *Laurentium Guazzeſium*, virum omni laude digniſſimum, cuius ſcripta edita, & Literati omnes, teſtantur ſatis ſuperque doctrinam & eloquentiam. Adeſt etiam commendatiſſimus, & adprime doctus Canonicus *Adeodatus Andreas* ex Comitibus *Biviniani*, ille inquam vir eloquentiſſimus, cuius orationes, lucubrationeſque, tum ſacrae tum profanae, tum verſa tum prorſa oratione, tum Latino tum Etruſco, ſermone, in vulgus prodierunt, comitante admiratione hominum literatorum. Saepiſſime etiam cum *Gregorio* colloquia erudita conferunt Eques *Hoſtilius Biccius*, Eques Prior *Michael-Angelus Albergottus*, *Marius Florius*, *Hyacinthus Foſſombronius*, nobiliſſimi cives, & admodum eloquentes viri, de quibus Arretina Civitas iure, meritoque ſibimet gloriari poteſt. Nec te ſilentio praeteream, ſingularis femina *Tereſia Foſſombronia*, quae tantam tibi carminibus gloriam quaeſiviſti; quaeque *Gregorio* tua venuſtiſſima carmina recitare ſoles, & aliquando illi Tuſco numero vinctas lucubrationes mittere voluiſti. Porro ne me rapiat, & in longum amplius protrahat, *Gregorii* cum tot literatis hominibus inita conſuetudo, & familiaritas;

qut cum exteris, & doctiſſimis viris epiſtolare colloquium, finem faciam; idque tantum de eo mihi iure liceat adfirmare, *Gregorium* (dicto abſit invidia) in ſua Civitate, inter ſuos populares longe diſertos, & eruditos, potiorem locum obtinere, maximamque ex eo in patriam ſuam, laudem, utilitatem, & decus redundare.

Eius ſcripta ſunt quae ſequuntur:

Verſio Pſalmorum Tuſcis quaternis verſibus conſtans, in duas diviſa partes, & Sereniſſimo Magno Duci Io. Gaſtonio dicata. Florentiae per Bernardum Paperinium 1734.

Etruſca Diſſertatio de Diis Adhaerentibus in ſecundo volumine Diſſertationum Academiae Cortonenſis relata. Romae per Palearinios excuſa 1735.

Latina Epiſtola ad Doctorem Antonium Franciſcum Gorium, de Arretina Civitate, veteribuſque ipſius Inſcriptionibus, quae in ſecundo volumine Tuſcarum Inſcriptionum impreſſa legitur pag. 213. Per Ioſephum Mannium typis data. 1734.

Typis quoque excuſa eſt apud eumdem Ioſephum de Mannis Andromache Domini Racinae Italice verſa, & a quibuſdam Equitibus Arretii publice acta.

Cuncta Horatii Flacci opera, Odas, Satyras, Epiſtolas, Artem Poeticam, de Latino in Italicum tranſtulit idioma, verſibus admodum concinnis; & penes illum manuſcripta adſervantur.

Plau-

Plauti Rudens, *Italicis carminibus redditum, quod habet MS.*

Oratio Panegyrica MS. de Sacra Divi Stephani Religione, *habita Piſis in Capitulo Generali anno* 1707.

MS. Oratio in morte Eminentiſſimi Cardinalis Franc. Caſini.

Diverſae Morales Epiſtolae ad inſtar Horatianarum, verſibus Italicis, MSS.

Varii Academici Sermones, conveniente Fortiatorum *coetu (cuius ipſe Procuſtos exſiſtit) dicti.*

Alii Sermones ſacri, quos in ſacro Poenitentiae ſodalitio aliquando habuit. MSS.

Plurima diverſi generis Poemata ſacra, moralia, atque iocoſa, quae volumen praegrande conficerent. MSS.

ANTON. MAR. LVPIVS

Io. Lamio Auctore.

NEc pauper cenſus, nec humilis conditio, nec genus obſcurum, ita hominum ingenia uſque premunt, ut vis animi vivida & alacris ſupra inimicae ſortis iniurias interdum non exſtet atque emicet. Rei minime vulgaris exemplum memorabile habemus *Ant. Mar. Lupium* Florentinum, qui *Franciſco Gerardo Lupio* Romano, tonſore; & *Maria Franciſca Menſinia* Florentina, obſtetrice; inopibus parentibus, anno MDCXCV. Pridie Id. Quinctil. Florentiae natus eſt, in domo a patre conducta

e re-

e regione parthenonis, qui D. *Barnabae* Apoſtoli nomine cenſetur. Inter conſanguineos materteram habuit famigeratam, utpote & ipſam obſtetricandi peritia praecellentem, quae vulgo *Zimbona* audiebat. Pater tonſtrinam ſuam in via, quae *Sergorum* vocatur, e regione templi Deipare ſacri, & ab eius conceptione nuncupati, habuit; & octo filiis, quinque maribus, femellis tribus, ex uxore ſuſceptis, vix tenui quem faciebat quaeſtu vitam tolerare, & familiam alere, poterat. At fata homini re domi anguſta laboranti opem opportune tulerunt, quatuorque gnatos infantes non indignanti rapuere. Dum autem in tanta inopia, qui sibi ſuiſque conſulat, meditatur, Romam, *Antonio Maria* ſecum abducto, proficiſcitur, ubi filium Latinis literis inſtituendum ſupra miſerae conditionis commoda curat. Florentiam reverſus in Ieſuitarum ſcholis, quae in coenobio Divi *Io. Evangeliſtae* ſacro cunctis patent, ſub Ieſuita *Scapecchio*, tenui praeceptore, humaniorum litterarum ſtudia proſequutus eſt; quae quidem quin emensis abſolvit, & inde apud eoſdem in Ieſu cohorte ſtipendia merentes Philoſophiae Peripateticae, ſtrigoſae & ridiculariae, ut ea tempora ferebant, operam dedit: At non adeo inutilibus, quibus Arabica illa ſecta ſcatet, quaeſtionibus ſe implicavit, temPuſque & operam non tam impendit quam perdidit, ut in Iuriſprudentiam quoque, celebri *Corſiniano*, publico profeſſore, docente, minime incumberet; nec ſub ſacerdote *Galeſtruzio*, quod quidem in adoleſcente vehementis doctrinarum deſiderii indicium eſt luculentiſſimum. Grae-

canicam litteraturam ediſceret. Sed qui, matre obſtetrice natus, *Socrates* alter fuit; paupertate, & rerum omnium indigentia circumventus, *Cleanthes* alter merito videatur. Vt enim hic olitori ad aquam hauriendam, ita ille D. *Caroli* ſodalibus ad Faſcolianam fabulam agendam in domo, quae contra D. *Michaelis Berteldae* aedem ſita eſt, operam ſuam locavit, fame imperioſa cogente, urgenteque duris in rebus egeſtate. Credibile tamen eſt, ſi id Ieſuitae reſciſſent, facile prohibituros fuiſſe; nam callidi homines, & acres ingeniorum aeſtimatores, mentem *Lupii* vegetam & perſpicacem, & propenſionem in ſcientias liberaleſque diſciplinas incredibilem, non tam noverant, quam probaverant; & cereum adoleſcentem in ſuas partes, etiam victu interdum ſuppeditato, aliiſque illecebris, traxerant; ordinique ſuo exornando recte prudenterque deſtinaverant. Nec ſua ſpe quidem fruſtrati ſunt; nam anno MDCCXI. ipſo die Chriſti Domini natali (alii XVI. KL. Ianuar. tradunt) Ignatianae familiae nomen Romae dedit, & ſacra veſte atratus adparuit. Hinc, eius exemplo, an paupertate audace impellente, incertum, alter eius frater, & duae ſorores, quae ſupererant, Deo ſe dicarunt; ille Dominicanorum cucullum induens, inter quos Peruſii Theologiam in praeſens docet, & ingenio atque eruditione cenſetur: hae inter Bonifacianas puellas Florentiae cooptatae. Tempore aſcetici tyrocinii exacto, ſupremo univerſi ordinis Praeſidi *Antonius Maria* ab epiſtulis fuit; deinde Senam Rhetoricen in D. *Vigilii* Colle-

legio profeſſurus, anno circiter MDCCXIX. miſſus eſt; ibique eruditiſſimum virum, & litteratorum hominum fautorem ampliſſimum, *Gabrielem Riccardium*, Eccleſiae Florentinae Subdecanum, auditorem inter alios habuit; quod quidem *Lupio* gloriae verti poteſt. Anno MDCCXXIX. quum Florentiae, in aedibus *Sancti Salvatoris de Pinti*, ut vulgo vocant, altero Ieſuitarum domicilio, moraretur, quam *Profeſſionem ſolennem* adpellant, quatuor votis de more ſeſe obſtringens, emiſit, a. d. IV. Non. Februarias, quum ab ſui ordinis legibus praeſcriptum ſtudiorum curriculum non ſine laude, & adprobatione, peregiſſet. Non enim doctrinas tantum, quas Scholaſticas & Theoreticas dicunt, animo penitus comprehendit; verum etiam Dogmaticae, & Canonicae Theologiae, haud paſſim inter eos ſacrificulos cultae, operam ſedulo navavit; & capaci mente Philoſophiam univerſam, variamque eius hiſtoriam; Geometriam, & Architectonicen, tam civilem, quam militarem, complexus eſt. Hiſtoriam autem eccleſiaſticam & profanam egregie callebat; denique Philologiam, Orator diſertus, & elegans Poeta, mirabiliter coluit; linguarum etiam Ebraicae, Gallicae, & Hiſpanicae, minime ignarus. Hiſce praeſidiis inſtructus totius antiquitatis conſultiſſimus evaſit, & interiora rei antiquariae adyta feliciter ſubiit; quarum cognitionum amore ita capiebatur, ut in eas toto pondere ferretur, & aliis cunctis huiuſmodi ſtudia praeponeret. At inter homines agens, qui genio & indoli cuiuſque indulgere, ut eminere poſſit, quicquam penſi

non

non habent; & inſtitutis ſuis, congruant aliis necne parum refert, preſſius inſiſtunt atque haerent; quod mecum olim, *Lupi* amicus Ieſuita *Hieronym. Lagomarſinius*, meus iam in Collegio Ieſuitarum Pratenſi συμφοιτητὴς καὶ σύν ροφος, iure & merito querebatur, ſuae *Lupius* propenſioni non omnino obſecundare, & voti compos fieri ,potuit. Quis ſibi inſuper perſuadeat ab iſtiuſmodi hominibus laudem aliquam relaturum eum, qui in antiquitatis ſtudia totus incumberet, quum συμμύςης verſificator ea carminibus amarulentis elevarit, irriſerit, contemſerit? Num obliti ſumus illorum verſuum?

— — — Pluris emantur
Hae modo relliquiae, & veterum monumenta Quiritum,
Quam librale aurum, rigidaeque a Mentore lances.
Credo iterum; verum quid conficis? omnia cernes
Muſea, ingentes Regum quoque Pinacothecas,
Aucta numiſmatibus, ſpiſſis quae didita cellis,
Grandia defendunt e levi ſcrinia buxo,
Lubrica ne ſubeat muſca, aut pulviſculus audax
Laedat honoratos vultus, doctamque ſenectam.
Audis, Salmori, haec & rides? ſanior eſſes
Pendere ſi velles aliquid; quorum poſſit abenam

Ven-

Vendere doctrinam Laterani vinitor agri,
Quisquis & incurvo ſubigit Latia arva ligone.

Sed fata *Lupium* amaverunt, & ne his lectis, aut auditis, altius doleret, rebus humanis tempeſtive exemerunt. Porro tanta fuit *Lupii* induſtria, vigilantia ſedulitas, ut, etſi moleſtis faſtidioſiſque negotiis implicaretur, atque diſtraheretur, tamen dilectis ſtudiis tempus aliquod, & horas ſubſecivas, daret; nec occaſionem ullam negligeret, dum in diſſitas variasque Italiae urbes migrare iubetur, vetuſta monumenta obſervandi, deſcribendi, comparandive. Praeſidibus igitur iubentibus Maceratam quoque ſe contulit, in Atheneo illo Philoſophiam docturus. At non diu iſtheic ſubſtitit; nam a Praeſide ordinis Maximo, qui *Lupii* doctrinam, prudentiam, ac probitatem, noverat, Romam accitus eſt, & *Subſtitutus Aſſiſtentiae Italiae*, ut vocant, renunciatus; quod quidem anno circiter MDCCXXXII. contigiſſe videatur. Et res quidem belle & commode cecidit. Nam dum *Lupius* munus illud Romae obit, opportuna occaſione uſus, vetuſta, quibus urbs aeterna tota conſtat, monumenta, contemplatur; ſubterraneos cuniculorum, quos *Catacumbas* nuncupant, anfractus ſubit, & luſtrat; ſepulcra & epitaphia martyrum obſervat, & exſcribit; antiqua epigrammata vel iam exſtantia, vel in dies effoſſa legit, & colligit; tandem ob multiiugem & caſtigatam eruditionem, & praecipue ob non vulgarem rei antiquariae peritiam, litteratis doctisque hominibus innoteſcere, ſuſpici, celebrari. Heinc viris illuſtribus, & pereruditis, qui tum in

in urbe litterarum gloria florebant, familiariter uſus eſt; *M. Antonio Boldettio* ſacris (Martyrum coemeteriis Praefecto; *Ioanne Marangonio* Vicetino, Protonotario Apoſtolico; *Alexandro Gregorio Capponio* Marchione; *Franciſco Victorio* Equite, Equiteque *Hieronymo Hudamo*; *Ridolphino Venuto*; *Franciſco Ficoronio*; *Ioſepho Rocho Vulpio*, & *Contuccio Contuccio*, συμμύςαις; quorum quidem omnium meminit *Lupius* in ſuo Commentario in *Severae* Martyris Epitaphium. Alterum commodum quoque acceſſit, nempe Muſea viſendi copia, quae multa Romae habentur; ſed Kircherianum praecipue ei magno uſui fuit. Quid quod egregiae multiplicesſque antiquitatis reliquiae, dum Romae *Lupius* verſaretur, refoſſae ſunt, quaſi Superi eius genio & vetuſtatis ſtudio faverent, dum minus grata & iucunda illi coepta ac munera non tam pararent Praeſides, quam minitarentur? Nam in eo collis Coelii clivo, qui Euro-Auſtrum reſpicit, atque interiacet Lateranenſi Baſilicae, & muris urbis, refodi coepta ſunt, per aeſtatem anni MDCCXXXII. rudera quaedam antiquorum parietum, in vineis, & hortis Laterano propinquis ſepulta; ut materia latertia ſuppeditaretur exſtruendo ſacello magnifico, quod in honorem Sancti *Andrae Corſini* erigebat in Conſtantiniana illa Baſilica *Clemens XII.* Inventa ibi inter effodiendum ſunt, praeter exſpectationem, columnarum ac marmorum pretioſorum fragmenta multa, Alabaſtrina, Porphyretica, Spartana, Numidica. Refoſſa inde pariter eſt

cathedra marmorea anaglypha, Etruſci (ut putatur) artificii: fabulis, ſive hiſtoriis ignotis exſculpta; ac praeterea ſtatuae Graeci operis, inter quas una exquiſitiſſimi artificii, Cererem referens; ac protomae Imperatorum antiquorum; diffractae illae quidem, & inter ruinas membratim divulſae; ſed quae etiam reſtaurari facile poſſent. Inſcriptiones etiam votivae PRO. SALVTE. ITV. REDITV. ET. VICTORIA. IMPP. CAES. L. SEPTIMII SEVERI. &c. in duabus antiquis aris inſculptae: tubi plumbei ad balneas, & ſalientes, characteribus (ut plerumque accidit) exſtantibus notati: alia denique multa antiquae munificentiae analecta, quae oſtendunt, eam collis partem nobilibus aedificiis inſignem fuiſſe, Romano Imperio florente. Sed nullum e tot monumentis refoſſis Antiquariorum curioſitatem aeque ſubſpenſam habuit, ac ingens numerus ingentium amphorarum fictilium, ad vinum (ut creditur) continendum deſtinatarum, quae ibi inventae inter aggeſtas coementorum ruinas foſſorum patientiam laſſarunt: ita ut, poſt aliquot centenaria eorum ex humo educta, cum longe maior earum numerus ſupereſſe videretur; redemtores, avidum lucri, negligens eruditionis, genus, taedio feſſi alio operas utilius collocandas cenſuerint; & relicta, rurſumque defoſſa, ſterili hac urnarum ſtrue, intra ambitum eumdem vinearum, atque hortorum, aedificia alia vetera, actis foveis, inquirere occeperint. Multa alia Romae effoſſa detectaque ſunt per id tempus vetuſta monumenta, quorum omnium

men-

mentionem iniicit *Lupius*, & quanta ſedulitate ea obſervaverit, aut exſcripſerit, paſſim, & luculenter inſinuat; ut, quae aliunde ei mittebantur, ſilentio praeteream. Etenim etiam cum viris eruditis abſentibus epiſtolare commercium habuit, ut cum *Franciſco Xaverio Marginettio*, *Hieronymo Lagomarſinio*, Ephemeridum Trevoltianarum Auctoribus, & Antuerpienſibus actorum Sanctorum collectoribus, omnibus Ieſuitis; & heic Florentiae, cum *Ant. Franc. Gorio*, & *Dominico Maria Mannio*; & alibi cum aliis, ut vero eſt quam ſimillimum, quorum notitia ad me non pervenit. An per id tempus in Seminario quoque Romano litteras, egregiaſque artes, profeſſus ſit, me praeterit; in illo tamen Collegio aliquando docuiſſe, litteris mandatum reperio. Interea, qui Rhetorices praecepta traderet, & iuventutis ingenia excoleret, in Panhormitanum Nobilium Collegium, quod ab Ieſuitis anno MDCCXXVIII. excitatum fuit, mittendus erat; nec alius *Lupio* aptior, aut eruditior, Praeſidi ſupremo, omnes ſuo iudicio expendenti, viſus eſt; quare ille Roma valere iuſſa anno MDCCXXXIII. Panhormum contendit, ut, qui Antiquarius praeſtantiſſimus evaſiſſet, invita Minerva Rhetoricen doceret, & curtum miſerumque ageret magiſtellum. Verum ut felici & verſatili ingenio erat, Rhetor probabilis Orationem non ſine laude tractabat; & ſuae fidei commiſſam iuventutem multiplici ſua eruditione mirifice iuvit: praeter enim graviores ſublimioreſque doctrinas, his Rhetoricen tradebat; illis Poeticen, & Mythologiam;

alios Graecis litteris imbuebat; alios Inſignium gentilitiorum cognitione inſtruebat: cum quibusdam de re Chronologica diſſerebat, nonnullos veterum epigrammatum, & numorum peritos efficiebat. Non eos Principum Genealogias, non Critices praecepta & regulas, caelabat: atque id omne tanto conſilio & prudentia exſequebatur, ut pro diverſis ingeniorum modulis, diverſas cognitiones tradendas unicuique ſeligeret. Antiquitatis tamen ſtudium numquam remiſit, & non omnino male ſecum actum reputabat, quod in Panhormitano Collegio Muſeum non contemnendum dedicatum fuiſſet, praecipuo eius auctore *Ignatio Maria Salnitro* Ieſuita, quicum ei, quoad vixit, arctiſſima familiaritas interceſſit. Ita *Lupius* ſe habens, communem Panhormi, & Siciliae univerſae, adprobationem & amorem meruit; quare in eruditum *Ereinorum* coetum, qui Panhormi celebratur, cooptatus fuit, in quo perhonorifico cenſoris munere functus eſt. Sed iam annus MDCCXXXIIII. vertebat, quando *Lupius* Reip. litterariae, & civitati Panhormitanae, ſe amplius demirandum praeſtitit; nam hoc anno *Diſſertationem & Animadverſiones ad nuper inventum Severae Martyris Epitaphium* Panhormi publici iuris fecit: opus quidem laudatiſſimum, de quo favorabile iudicium Ephemeridum litterariarum Venetarum, anni MDCCXXXVI. licet iuſtum, non multum moror: nam illas Ephemerides partim a Ieſuitis concinnari fama eſt: ſed pluris facio, quod de eo ſcribit eruditiſſimus *Scipio Maffeius Tomo I. Obſervationum litterariarum*, *Art. VIII.*

Sta-

Statim ac liber ille, antiquariae eruditionis penus, prodiit, *Hieronym. Lagomarſinius* Rhetorices Florentiae Profeſſor, & *Lupii* admirator, eum mihi legendum commodavit: & ipſe quidem opus admiratus ſum; & quum occaſionem ſe obtuliſſet, de eo in primo operum Meurſianorum a me propediem vulgandorum volumine ita ſcripſit: *Et in alia*, (Inſcriptione) *apud Antonium Mariam Lupum Florentinum, qui in Iesu cohorte ſtipendia meret, & cuius in re antiquaria eruditio plurimi facienda eſt, ut ſatis comprobat Commentarius ille litteris plenus ab eo nuper editus in Severae Martyris Epitaphium*. Quae quidem verba eo lubentius protuli, quo vehementius deſidero ex quorumdam animis evulſam opinionem, me in Ieſuitas inimico animo eſſe, quum aequus ſemper in omnibus, quae laude digna ſunt, lubenter laudem; quae vituperio, recte ſapienterque vituperem. Licet autem V. Cl. *Ant. Franc. Gorius* in amicorum laudes effuſior quam par eſt, aliquibus videatur, non tamen veritatis limites excedit ubi Tom. II. *Muſei Etruſci* ita de *Lupio* ſcribit: *Viri antiquitatis periti, inter quos celeberrimus Antonius Maria Lupi, Societatis Iesu Presbyter, nemini ſecundus, civis & amicus meus ſuaviſſimus;* qui eius quoque meminit in *Parte III. Inſcriptionum Etruriae*. Meminerunt etiam, vir eruditiſſimus *Petr. Franc. Fogginius* in ea Diſſertatione, quam *De primis Florentinorum Apoſtolis* inſcripſit; & de medii aevi antiquitate optime meritus *Dom. Mar. Mannius Tom. III. Sigillorum*. Sed omnium inſtar ſit quod *Marcus Antonius Boldettus* ſcripſit

ma davit. *Ne autem*, inquit, *pretioſum adeo Cimelium litteratos viros lateret, placuit eruditiſſimo viro P. Antonio Mariae Lupi Societatis Ieſu, Graecae linguae peritiſſimo, & eximio bonarum artium cultori, illud publici iuris facere, notis exquiſitiſſimis illuſtratum*. Qui autem & quando epitaphium illud inventum ſit, ipſiſſimis *Lupii* verbis exponere, operae pretium eſſe duco. *Emerſit epitaphium hoc in lucem, ante tres annos, Romae; e maximis vaſtiſſimiſque labyrinthis hypogaeis coemeterii Chriſtiani, ſecus viam Salariam, primo ab Vrbe lapide; qui anno MDCCXXII. detecti, creduntur (neque iniuria) ad coemeterium pertinere, quod a SS. Thraſone, & Saturnino Martyribus, adpellant Tabulae Eccleſiaſticae; quique Antonio Boſio, diligentiſſimo Romanorum coemeteriorum inſpectori, aliqua ex parte innotuere. Protenduntur anfractibus longiſſimis foveae iſtae quaquaverſum; ut non immerito credi poſſint conterminae, atque etiam coniunctae celeberrimo coemeterio Priſcillae, quod in eadem via Salaria eſt, duobus paſſuum millibus ab Vrbe. In una autem e ſubterraneis hiſce viis, egeſta a foſſoribus humo, quae illas plerumque occupat, inventus fuit Decembris menſe anni MDCCXXX. loculus diſerta inſcriptione notatus, & grandi vitreo calice, pedalis magnitudinis, qui ſanguine ſubſidente tinctus, Martyris alicuius exſuvias ibi poſitas indicabat. Foecunda ſunt huiuſmodi theſaurorum Romana coemeteria; ita ut vix annus elabatur, quo inter aliquot ſepulcrorum millia, quae liberatis humo cuniculis coemeteriorum, deteguntur, non loculi plures pauciores que inveniantur, Martyrum reliquiis inſignes. Ditiſſimum autem prae reliquis eſt hoc coemeterium S.*

Thra-

Thraſonis, *in quo intra decem*, *vel undecim menſium ſpatium*, *ad duo ſepulcrorum millia inventa fuere*, *cruentis vaſculis adpoſitis notata*: *ut plane conſtet tempore crudeliſſimarum perſequutionum Valeriani*, *&* *Diocletiani*, *huc congeſtas fuiſſe reliquias fortiſſimorum militum*, *qui pro Chriſto ſtrenue pugnaverant*; *&* *ſane haec*, *atque his proxima tempora*, *indicant Inſcriptiones inibi repertae*. *Inſcriptio autem ea*, *de qua ſermonem praecipue inſtitueram*, *candido marmori commendata*, *tres ferme pedes occupat in longum*, *altitudinem vero pedum duorum vix aequat*. *Diffracta eſt modo tabula*, *cui epitaphium inſcriptum fuit*: *nam poſt liberatam humo*, *qua opplebatur*, *coemeterialem viam*, *inſperato decidit e loculo*, *cui adhaerebat*. *Sed hac fractura nihil ablatum eſt ex ea areae parte*, *quae ſcripta erat*. *Facilis igitur iactura fuit lapidis reliqui*, *quem ad ſex ſeptemque pedes extenſum fuiſſe oportuit*. *Claudebat enim in loculo ſceleton bene longum*, *atque ultra ſex pedes protenſum*, *uti referebant optimi*, *atque oculatiſſimi teſtes*, *VV. CC. D. Marcus Antonius Boldetti*, *ad Sanctae Mariae trans Tiberim Canonicus*, *qui ſacris Martyrum coemeteriis praeeſt*, *&* *D. Canonicus Ioannes Marangoni*, *Vicentinus*, *Protonotarius Apoſtolicus*; *qui mox laudatum Dominum Boldettum*, *magna rerum huiuſmodi experientia*, *diligentia*, *ac fide praeditus*, *in arduo munere adiuvat*. Non tamen ille *Lupii* in Martyris *Severae* epitaphium Commentarius omnem impugnationem evaſit; nam *Iacobus Bettazius*, Sacerdos Florentinus, & Eccleſiae S. *Pothi* in Piſtorienſi Dioeceſi Antiſtes, Aſtronomicarum ſupputationum peritiſſimus, quum ſe e

Lu-

Lupio in hoc opere impetitum vidiſſet, ei reſpondere, & amovere obicem omnem, intrepide adgreſſus eſt. Sed exactiorem rei Aſtronomicae & Chronologicae ſcientiam oſtentavit *Lupius*, quum hoc ipſo anno MDCCXXXIV. in *Ereinorum* coetu Diſſertationem eruditiſſimam legit, qua varias de anno Chriſti Domini natali ſententias ad examen revocavit. Anno vero inſequenti in eodem conventu alia Diſſertatione recitata, in menſem, quo Chriſtus natus eſt, inquiſivit; & rem eſſe in ſententiis invenit, & ſuos quemque menſem habere fautores. Vlterius *Lupius* in huiuſmodi diſquiſitionibus progreſſus eſſet, niſi mors interceſſiſſet; mirumque profecto videri poteſt, alium *Lupium*, ſed Bergomatem, ſed nobilem, ſed Canonicum Sacerdotem, at Ieſuitarum alumnum, in eadem arena deſudaſſe, & anno MDCCXLIV. de Notis Chronologicis anni Chriſti natalis commentarium Romae edidiſſe. Anno MDCCXXXVI. *Lupius*, quum *Caſimirus Draco Chiaffelonius*, Dynaſta clariſſimus, naturae conceſſiſſet, orationem funebrem de eius laudibus in Collegio Ieſuitico habuit, eamque deinde typis in vulgus prodidit. At benevolentiam & exiſtimationem Siculorum amplius ſibi conciliavit, mittendo acta Anachoretidis *Roſaliae*, Virginis caſtiſſimae, ſinceriora Antuerpienſibus Ieſuitis, qui *Io. Bollandi* veſtigiis inſiſtentes acta Sanctorum colligunt, illuſtrant, evulgant: nam eam etiam praecipua religione colebat. Vir enim prolixa pietate fuit adverſus Deum, & Superos, eiusque cultum, morumque ſanctitatem, ubique amplificare conatus eſt. Hinc

ſa-

ſacras conciones habuit, religioſas domos obivit, miſeris pro facultate ſuccurrit, flagitioſos ab errore revocavit, adoleſcentes exemplo, hortatu, aſtu, ad virtutem amplectendam, vitium fugiendum, incitare non deſtitit. Vt autem Collegium, & alumni, praeſentiſſimum Dei patrocinium iugiter experirentur, corpus ſancti Martyris *Innocentii*, qui puerili aetate Chriſto & veritati teſtimonium perhibuit, a *Clemente XII.* Pontifice Maximo obtinuit, & iis dono dedit. Anno igitur MDCCXXXVII. ſacrum illud pignus Roma Panhormum delatum eſt, & *Lupius* incredibili laetitia geſtiens omnes curas, & nervos, in illud intendit, ut ornate, ſplendide, magnificenter, in Collegii larario publicae venerationi exponeretur. Heinc & libellum edidit, quo D. *Innocentii* Martyris, & eius reliquiarum inventionis hiſtoriam texebat, & ſuae variae eruditionis ampliora ſpecimina dabat. At dum haec omnia laudabiliter curat, febri ardentiori corripitur, non ſine omnium ordinum ſolicitudine ac timore; quare & ipſe Siciliae Prorex excellentiſſimus, Princeps *Barthol. Corſinius*, quotidie ad Collegium mittebat, qui eum de *Lupii* ſtatu rediens certiorem faceret. Sed fruſtra omni cura, remediis omnibus adhibitis, Eccleſiae myſteriis rite ſuſceptis, III. Non. Novembres anno MDCCXXXVII. vitam morte commutavit, vir quidem longiore vitae uſu digniſſimus & quem raptum univerſi hominum ordines vehementer doluerunt, & lacrimis decorarunt. Collegium Nobilium benemerentis Praeceptoris imaginem pingendam curavit; & eius funus oratione dicta, & poematiis recitatis, honeſtavit. *Ereinorum* vero

ro coetus, conventu indicto, ſocio dilecto iuſta perſolvit, epicedium legente *Laurentio Migliaccio*, viro pereruditо, & Eccleſiae Panhormitanae Canonico Reverendiſſimo.

Opera edita

Diſſertatio & Animadverſiones ad nuper inventum Severae Martyris Epitaphium. Panormi ex Typographia Stephani Amato 1734. *in fol.*

Orazione nel Funerale dell' Illuſtriſſimo Sig. Marcheſe D. Caſimiro Drago e Chiafallon del Conſeglio di S. R. M. Preſidente del Tribunale della R. G. C. Luogotenente di Maeſtro Giuſtiziere, e già Deputato del Regno di Sicilia &c. recitata nella Sala dell' Imperial Collegio della Compagnia di Gesù. In Palermo appreſſo Stefano Amato 1736. *in* 4.

Notizie di S. Innocenzio Fanciullo e Martire, il corpo del quale eſtratto dal Cimiterio di S. Calepodio in Roma ſi conſerva in Palermo nella Cappella del Real Collegio Carolino diretto da' PP. della Compagnia di Gesù. In Palermo appreſſo Stefano Amato 1737. *in* 4.

Poemata & Carmina varia, & Orationes, diverſis temporibus publici iuris facta.

Diſſertationes multas manu exaratas reliquit.

GVI-

GVIDO GRANDIVS

Angelo Maria Bandinio Auctore.

FRanciſcus Ludovicus Grandius Cremonae Kalendis Octobris anno MDCLXXI. ex honeſta, nobilique, familia ortus eſt. Iam inde a puero ſtudiis ſe addictum, & quodammodo conſecratum praebuit. Incredibili enim felicitate Grammaticae rudimenta *Ioanne Baptiſta Canneto*, qui ea tempeſtate Grammaticam Cremonae profitebatur, duce, percepit. Vir erat ille magni ingenii, doctrinae, ac probitatis ſpecta ac, qualis honeſtum decet virum; adeo ut temporis progreſſu cathedras ſibi clarioribus in Lyceis, ipſamque Episcopalem dignitatem, ultro a *Benedicto XIII.* oblatam, ſtrenue recuſaverit. At quum ſeſe Camaldulenſium Ordini *Cannetus* addixiſſet Anno MDCLXXXIV. tunc ad literarios Ieſuitarum ludos *Grandius* ſe contulit, ubi ſub P. *Hieronymo Saccherio* reliqua Grammaticae praecepta hauſit, donec ſub Patre *Carolo Roſſio* Mediolanenſi in humanarum literarum curriculum ſe totum immiſit. Nec oleum, & operam (ut pervulgatum eſt) perdidit *Grandius*; licet enim ea tempeſtate futilibus, ineptiſque, praeceptis adoleſcentium animi imbuerentur, nihilotamen minus multum ille in iiſdem profecit; nec ideo amoeniſſimos Muſarum receſſus abhorruit: nam matre femina praeſtantiſſima hortante eaſdem diligenter excoluit, ut opus eſt: quod ex eius Ecloga quadam, in qua ſe fiſtulam ponentem, aliique paſtori reddentem, inducit quam aperte colli-

gitur. Erat autem in puero praeter docilitatem ingenii, ſumma ſuavitas oris & vocis, ut non ſolum celeriter caperet, quae traderentur; ſed etiam excellenter pronunciaret. Sub Ieſuitarum igitur tutela Logices principiis excultus An. MDCLXXXVII. in pervigilio Dominici Natalis in Camaldulenſium Ordinem adſcribitur; in coenobio Claſſis Ravennae; *Guidonis* nomen accipiens. Hic P. *Galaminium*; qui doctrinarum ianuam patefaceret, ſortitus eſt; qui quamquam magno vir ingenio eſſet, omnino tamen Peripateticis nugis addictus erat; quare eas non probans *Guido*, ut is, qui perſpicua mente praeditus erat; ab his paullo poſt ſtudiis abhorrens ad Muſarum delicias ſe contulit, laudibus, quae Academiae *Concordium* a P. *Canneto* inſtitutae tribuebantur, maxime motus. Et quoniam ei, uti adoleſcenti, minime illic adeſſe licebat, ſocios pares, ut alteram inſtituerent Academiam; quam *Certantium* nomine honeſtavit; hortatus eſt; eiusque ſeſe praeſidem conſtituit. Plures illic orationes recitare ſolitus erat, inter quas unam contra *Senecam* effudiſſe dicitur, utpote qui rigidiſſimis moralibus decretis veterem Bacchanalium conſuetudinem, illis celebrari ſolitam diebus, exſecraretur. Hac occaſione in pluribus deſiderium excitavit novos inſtituendi literarios congreſſus, in quibus tamen barbaries, ut ea ferebat aetas, late dominabatur. Attamen de ea, quam *Grandius* excitarat, diverſe ſentiendum eſt: tanta enim erat in eius diſceptationibus ſuavitas ſermonis Latini, ut adpareret in eo nativum quemdam leporem eſſe, non adſcitum. Idem poemata pronunciabat adeo Latina, ut ſupra nihil poſſet:

qui-

quibus rebus factum eſt, ut ea infelici tempeſtate haud progenitus videretur. Quod minime mirandum eſt, dum ſubit, quanto *Dantem*, *Petrarcham*, *Areoſtum*, *Bernium*, *Taſſum*, alioſque optimos Tuſcanicae linguae Scriptores amore proſequeretur. Interea A. MDCLXXXIX. de D. *Romualdo* concinnam perfecit orationem; eamque Ravennae coram Archiepiſcopo, ſummo cum adſtantium plauſu, recitavit; & anno ſequenti alteram *de tenui Poeſeos precio* literis mandavit: qua de re a pueritia nobilis inter aequales ferebatur, clariuſque exſplendeſcebat, quam generoſi condiſcipuli aequo animo ferre poſſent. Sed nec Muſices ſtudium parvi fecit: nam, quamquam, ut ita dicam, adoleſcens adhuc eſſet, anno ſcilicet XX. aetatis, de *Muſicae Theoreſi, ac Praxi*, in tres partes diviſum, felicitate incredibili, elaboravit opuſculum; ac Sanctorum deinde Camaldulenſium Indicem contexuit. Praeclariſſimis hiſce occupationibus detentus, Philoſophicos curſus ſumma cum laude emenſus, Romam adiit, ut Theologiae arcanis penitus inſtrueretur; quod ſub Patre *Galaminio*, tunc monaſterii praeſide, diligentiſſime exſequutus eſt. At quoniam illa, non ſecus ac Philoſophia, ſpiſſas inter ambages, implexaſque & inutiles quaeſtiones, plurimum verſabatur, huius quoque pertaeſus ab ea recedere, & ad bonarum artium ſtudium rurſus animum convertere excogitavit. Quare Patre *Canneto* hortante, originem, & hiſtoriam ſui Ordinis perquirens, ut Annales eiuſdem locupletiſſimos ederet, multum diligentiae poſuit; vitam quoque D. *Romualdi* a D. *Petro Damiani* conſcriptam commentariis illuſtravit; quibus utiliſſimis ani-

nimadverſionibus uſi ſunt, qui eiuſdem ſancti viri geſta, atque opera Venetiis ediderunt. Eodem Anno, ſcilicet MDCLXXXXIV. quoniam *Grandius* theſes Philoſophicas in Comitiis ſui Ordinis generalibus defenderat, ut Profeſſor renunciaretur, poſtulavit, quod ei iure debebatur; verum, quum a communi ſtudendi methodo receſſiſſet, quod doctis; probiſque viri continuo evenit, ad varios ſui ordinis gradus difficillime evectus eſt. Iamque P. *Canneto* ſuadente, ſacras conciones habere, ab omni ſpe deiectus, meditabatur; quum Deo adiuvante, P. *Franc. Caramellius*, egregia iuvenis indole inſpecta, Florentiam illum deducere, Profeſſoris munere decoratum, voluit. In hac urbe *Grandius*, nullius ope *Charteſii* de Principiis librum, qui paullo ante in tanta civitate per doctiſſimorum hominum ora & manus volitare coeperat, ſibi imitandum propoſuit. Illum enim in compendium redactum diſcipulis explanavit. Verum ſedulo animadvertens, poſſe ea, quae a *Charteſio* docebantur, melius exponi, Mathematicis Euclidis ſpeculationibus ſe totum dedidit, quas quidem facile animo comprehendit, quum *Sebaſtianus Franchius* Medicus iis Monachos nonnullos alios erudiret. Sub eo tales *Grandius* progreſſus fecit, ut magna captus admiratione *Franchius* exclamaverit: brevi Mathematicorum Principem evaſurum. *Archimedis* deinde, *Apollonii*, & *Pappi* praeſertim collectiones adſidua verſans manu, nova conſtruendi problemata modum inveſtigavit. Quare paucos poſt menſes, hoc eſt, an. MDCLXXXXV. ſuum de Muſica tractatum recenſe-

ret,

re, amplificareque potuit, Geometricaque uſus brevitate, qua in re nulli periculum fecerant, illum in XXIV. propoſitiones concinne elaboratas redegit. Inde vero eius in Mathematicis progreſſus mirificos, *Vivianeorum Problematum Demonſtratio* oſtendit, maximam non *Torricellii* tantum, ſed etiam *Gregorii* a S. *Vincentio*, ac *Vallisii*, operum cognitionem praeſeferens. Inter haec *Guido* ad Teologiae cathedram evectus, ſibi creditum munus optime obivit; abſque eo quod a Geometricis ſtudiis, quae ſemper in deliciis habuit, abſtraheretur. Quin & in Theologicas diſputationes perſaepe Geometricas demonſtrationes, Scholiorum ope, inducebat; uti in tractatu de *Dei viſione* feciſſe manifeſtum eſt. Aeterna interim memoria dignum illi contigit factum, dum ſeſe ad famigeratum *Ant. Magliabechium*, quo varia ab eo librorum cognitione inſtrueretur, conferret. Apud eum enim *Boudnauſenium* nobilem Germanae gentis hominem, qui *Ferdinandum* Magnum Etruriae Principem in Philoſophia, quae ad mores pertinet, inſtituebat offendit. Quum autem ab eo colloquente de Problematibus circa Fornices Sphericos Cylindricos quadrabiles una practica conſtructione & determinatione, ab *Vivianio* editis, ageretur, omnes ardenti illorum problematum ſolutionem audiendi deſiderio flagrabant, quam, veluti arcana quaedam, Magno tantum Principi *Ferdinando Vivianius* patefecerat. Tum vero *Grandius*, libello attente aliquantum pervoluto, atque perpenſo, eo ipſo temporis momento primum illorum Problematum, quod omnium difficillimum putabatur, & a quo alia pendebant, magna cum adſtan-

tium admiratione ſolvit, ac demonſtravit. Hinc eſt, quod ab amicis pluries rogatus arduam illorum Problematum ſuſceperit demonſtrationem, quod *Vivianius* facere abnuebat, atque An. MDCIC. Florentiae *Coſmo III.* Magno Duci nuncupatam publici iuris fecit. Editum libellum, haud ſupervacaneum fore putavit, ſi *Ioanni Gaſtoni*, *Coſmae* F. qui tunc Pragae morabatur, mitteret; quod munus adeo acceptum dicto Principi fuit, ut per epiſtolam datam Pragae pridie KL. Ianuar. An. MDCC. plurima illi gratias egerit, & ſuum patrocinium obtulerit. Hoc opus Latine ſcripſit, quo, quantum Mathematica in facultate valuerit, univerſo Literatorum coetui ſignificavit. Atque ita tantum ſibi laudis adeptus erat, ut quum Romam petere, ut ibi Theologiam profiteretur, vellet, hoc iniquo ferens animo Magnus Dux *Coſmas*, ne diſcederet iuſſit, eumque Philoſophiae cathedra in Piſano Gymnaſio decoravit; quod ei doctiſſimus S. R. E. Cardinalis *Henr. Noriſius*, epiſtolio dato, eodem anno nunciavit. Iam maximis *Grandius* proſequendus eſt laudibus, eo quod celeberrimum illud Lyceum ab Ariſtotelica, ut ferunt, ſervitute vindicarit, ſicuti eius in uſum publicum conſcriptae praelectiones, quae ad Mechanicam, Opticam, atque Hydraulicam, ſpectant, manifeſte teſtantur. In arduis perquiſitionibus nullorum auxilio utebatur, integrosque inſumebat meditando dies, veluti ipſemet libro *Demonſtrationis Hugenianorum Theorematum* aperte declarat. Ab *Hugenio* in ſua Diatriba de gravitate illa Theoremata memorata fuerant, quae Piſis apud praeſtantiſſimum Equitem *Lucam Albizium*, virum in Geometricis rebus verſatiſſimum,

Gran-

Grandius viderat excuſa. Quum autem illa ad menſuram, & centrum gravitatis Logiſticae, ſolidorumque ab ea circa ſuum aſymptotum, aut ordinatam, productorum, determinandum tenderent, vix ea diligenter perpendit, quamplura, quae ab *Hugenio* metipſo ignorata fuerant, detexit: ideoque libellum *Ferdinando* Magno Principi dicatum elucubravit, cui addidit epiſtolam P. *Thomae Caevae* S. I. ſcriptam, in qua hic Poeta venuſtiſſimus, & Geometra excellentiſſimus, nuncupatur. Plauſu exceptum opus fuit, eo quod copia, atque accurata doctrinarum ſubtilitate, a ſola mentis comprehenſione originem trahentium, elaboratum eſſet. Interea Analyſi ſe totum dedit, quae haſtenus, in Italia ſaltem, incognita poene fuerat; & in ea tantum profecit, ut illum *Manfredii* fratres, & *Victorius Stancarius* ſaepe conſulerent. Scientia certe mirifica per ea tempora divulgari coeperat. *Grandius* paucos poſt menſes ſeriem infinitam rectificandi quamcumque curvam adinvenit. Paullo poſt arduum ac perdifficile de *Quadratura Circuli* commentarium ſub Principis *Io. Gaſtonis* auſpiciis pereleganti elegia praemiſſa An. MDCCII. elucubravit, in quo, praeter conſuetas eius methodos, calculo differentiali uſus eſt. Quapropter eum iure optimo *Leibnitius* epiſtola data anno MDCCV, hac de re commendavit. Quin & *Iſaacus Nevvtonus* tanti illum faciebat, ut quum ſuum de Optica tractatum ei dono miſiſſet epiſtolam eI inſerit: *Vtinam tanto iudici non diſpliceat*. Cum doctiſſimis enim eius aevi Mathematicis literarium commercium habuit, atque, ut alios ſileam, *Severolium Praeſulem*, *Georgium Baglivium*, *David Gregorium*,

pro rei teſtimonio adducam. Quum vero in ſupra memorata epiſtola *Leibnitius* novum illi Analyticarum operationum conſilium ſignificaſſet, tunc illud amplecti non auſus fuit: ſed quum a Germanis probatum animadvertiſſet, ipſe quoque in nova libri *de Quadratura Circuli atque Hyperbolae* editione adhibuit, in qua duas *Gabrielis Manfredii*, & *Euſtachii* fratris, literas Analyticas retulit; qua occaſione, ut deinceps oſtendemus, *Alexander Marchettus* ſcriptis publicis, apertiſque diſſenſionibus, in *Grandium* inſurrexit. At non ita Mathematicis contemplationibus tenebatur, ut alia praeclariſſima ſtudia, ut nonnulli faciunt, adſpernaretur: nam ea praeſertim, quae ad Eccleſiaſticam, Monaſticam, & Criticam, Hiſtoriam pertinent, haud exigua animi ſollicitudine excoluit. Hinc ſeſe per litteras in maximam P. D. *Anſelmi Bandurii*, & P. D. *Claudii Stephanotii* familiaritatem inſinuavit; & anno MDCCV. opera nonnulla ad haec ſpectantia publici iuris fecit: ac primo quidem Dialogum, qui ſine auctoris nomine prodiit, quo multis innixus rationibus S. *Petri Damiani* vitam a P. *Iacobo Laderchio* conſcriptam, ac tribus magnae molis voluminibus comprehenſam, editamque A. MDCCII. irridebat. Quatuor igitur elaboravit Colloquia, quibus titulum fecit *Calculum, Ferula, Scutica* & *Cenſura*, quae a Gallis Iuvenibus habebantur, eo quod eiuſdem nationis nonnulli, interquos, *Elias Dupinus* a *Laderchio*, vituperarentur. His quintum acceſſit, quod *Manubrium Scuticae* nuncupavit, quo, vulgo *Laderchio* adſcriptis contra *Grandium* calumniis, reſponderet; ſed quoniam numquam illae prodiere, ideoque & quintus Dialogus minime prodiit. Hiſce aliquantum rebus compo-

po-

poſitis, ſui Ordinis monimenta colligere, atque illuſtrare adgreſſus eſt, & ut Coſmae III. morem gereret eadem publicare in animo erat. Id quidem editione quatuor Diſſertationum Camaldulenſium exſequutus eſt, amicorum hortatu, atque Antonii Magliabechii praeſertim. Inter reliquas ea, quae in creditam ſcalae viſionem, quae divo Romualdo adparuiſſe dicitur elucubrata eſt, a doctiſsimo P. Bernardo Montfauconio probata fuit, quum vir ille officii plenam ad Grandium epiſtolam dediſſet. Verum hoc aegre & iniquo animo tulerunt Monachi, quibus, ea ablatâ fabula, princeps ſuae Hiſtoriae pars auferri videbatur; quare plurimas in illum turbas concitarunt. Hac de re haud exiguum dolorem animo concepit Grandius, atque anno MDCCVI. Piſis Antonio Magliabechio epiſtolam miſit (quamquam enim A. MDCCVII. prodierint Diſſertationes, nihilo tamen minus multum antea excudere eas coeperat) in qua iure querebatur, quod quum Camaldulenſis Ordinis ſinceram Hiſtoriam reſtituere, ac praeciſis fabulis ſolida eruditione caſtigare ſtuderet, non gratiam, ſed invidiam, & male adfecti, ingratique erga religionem animi notam, a parum aequis rerum aeſtimatoribus reportaverit; optime animadvertens, Hiſtoriae errata, melius eſſe, ut ab amicis, atque domeſticis, quam ab exteris, corrigantur. Diſſertationes illae dicatae Cardinali Ferdinando De Adda ſui ordinis Patrono fuerunt. Quum vero eodem anno plures rariſſimos Codices, & praeſertim Rainerii Gracchiae Piſani de Bellis Tuſciae opus comparaſſet, P. Abbati Cannetô dono miſit. Deinde A. MDCCVIII. quum intimam cum Horatio Burgundio S. I. amicitiam iniiſſet, hic illi Diſſertationem MS. miſit, Methamorpho-

ſin ſcilicet quamdam Mathematicam, in qua Cicloidis ope a *Torricellio* triplae Circuli genitoris demonſtratae, ac Trianguli eiuſdem baſis atq; altitudinis ſeſquialterae, ſuperficies, & ſolida, ex una in alteram ſpeciem permutari oſtendebat. Praeſidis interea munere fungebatur Piſis in Monaſterio S. *Michaelis* in Burgo, quum in generali conventu Ordinis, Monachi non modo dignitatem Abbatis illi abſtulerunt, ſed & extra familiam eiecerunt. Hinc opus fuit, ut a Magno Etruriae Duce *Coſma* regius Mathematicus renunciaretur, ne Piſis amplius diſcederet. Anno proxime elapſo familiaritas inter *Grandium*, & *Iacobum Hermannum* Paravinum Matheſeos Profeſſorem interceſſit, & uſque ad A. MDCCXIII. perduravit, quo tempore *Hermannus* in Germaniam rediturus diſceſſit, multaque inter ſeſe per literas de motuum compoſitione & reſolutione diſputarunt, quae in compendium redacta *Narduccius* in ſuo quodam libro publicavit. Quum vero Vir Cl. *Benedictus Brixianus* Pragae cum Principe *Ioanne Gaſtone* ab Etruria moraretur, *Grandio* amicitiam, litterariumque commercium, cum Comite *Ferdinando Erneſto de Herbeſtein*, qui & Mathematicus erat praeſtantiſſimus, & continuo in altiſſimorum Problematum ſolutione occupatus, comparavit. An. MDCCIX. Ravennae *Cannetus Grandium* literis ſcriptis, ut MS. Codicem Siculorum carminum *Parutae*, quem in Tuſcum deinde ſermonem tranſtulit, ſibi adquireret rogavit. Quum A. MDCCVIII. *Narciſſus Marsh* Armacanus Archiepiſcopus ſonitus ſyſtema illuſtrare contendiſſet, Propoſitiones nonnullas, quas nec ille, nec univerſus Mathematicorum coetus enucleare poterat, mira *Gran-*
dius

dius felicitate, hortante doctiſſimo Comite *Laur.* *Magalottio*, declaravit: iamque per Eruditorum manus, atque ora pervagabatur *Grandii* Epiſtola laudato *Magalottio* dicata, quum forte fortuna in *Henr. Nevvtoni*, Britannici ad Magnum Etruriae Ducem Ablegati, quoque manus pervenit, qui tantam admiratus doctrinam, Regiae Londinenſi Societati, ut in eam *Grandius*, una cum *Magalottio*, adſcriberetur, illam miſit; & revera in Philoſophicis Tranſactionibus Epiſtola illa relata fuit. Erecto animo *Grandius* novum opus meditari coepit, in quo commentationes quaſdam de *Infinitis Infinitorum*, & *Infinite parvorum ordinibus* exponere adgreſſus fuit. Quos facile abſolvit, Deo Optimo Maximo labores immenſos conſecravit, Epiſtolamque Ablegato *Nevvtono*, qui maximi *Grandium* faciebat, initio operis cum praeludio inſcripſit. Huic editioni Auctoris effigies adpoſita fuit, ſubſcripto a celeberrimo *Bened. Averanio* Epigrammate inſequenti.

Ne ſperne effigiem, quae magnum ingentis Olympi
Menſorem, quamvis parva ſit illa, refert.
Ne tamen hac metire virum, qui quantus haberi
Debeat, hic moſtrat, maior imago, liber.

Hoc quidem opus, & maximam illi exiſtimationem peperit, & Mathematicos Europae clariſſimos ſtupore defixit. Quum illud *Hermannus* Profeſſor Patavinus *Bernoullio* miſiſſet Baſileam, ita hic A. M. DCCX. *Hermanno* reſpondit. *Accepi quoque, tuo miſſu, a Reverendiſſ. Parente clariſſ. Guidonis Grandi libellum egregium* De infinitis infinitorum, *pro quo tibi non minus, quam clar. Auctori, grates ago ſummas. Cl. Varignonius, contra quem ſcri-* ptus

ptus eſt libellus, ſumſit olim ex quibuſdam literis meis ſcriptis die 27. Iulii 1697. occaſionem mihi primo movendi litem ſuper pluſquam infinitis, *quae diſputatio inter nos duravit per integrum fere annum, donec tandem illum ad ſilentium redegerim, & ſe a me convictum faſſus fuerit; adeo ut mirer, eum poſtea hanc litem publice renovaſſe. Poſtquam enim multis ipſi oſtendiſſem, quemadmodum infiniti ſint gradus differentialium, ſeu infinite parvorum deſcendendo, ita & adſcendendo infinitos eſſe gradus infinite magnorum; tandem in literis ſuis ad me datis die 22. Apr. 1698. in haec erupit verba;* Enfin je ſuis pleinement ſatisfait de vos eclairciſſemens ſur le plus qu' infinis: *& in literis ſequentibus die 27. Maii 1698. ſibi iterum ſatisfactum fatetur his verbis:* Votre ſentiment ſur l' infinite me paroit tres vray . . . Tout cela me paroit une ſuite neceſſaire de la doctrine des infinis de differens genres. *Si cl. Grandi inſtitutum mihi innotuiſſet, potuiſſem ipſi ſuppeditare mea de hoc argumento cogitata, aut, ſi optaverit, nunc quidem communicabo; forte lucem non exiguam rei huic adfunderent.* Verum paullo poſt *Grandii* quies turbata eſt, plurimis contra illum contentionibus excitatis; quum enim *Lucas Antonius Portius* in ſuo de motu libro *Galilaei* doctrinae adverſaretur, varios haec doctrinae novitas motus, ac Neapoli praecipue, excitarat. *Grandius* igitur *Barptolemaeo Intiero* Florentino epiſtolam miſit, datam XIV. KL. Apr. MDCCVI. *Portii* errorem ex eo derivatum eſſe, oſtendens, quod opinatus erat, corpora inclinatum planum directione perpendiculari ad horizontem, non autem ad planum ipſum, premere. Praeterea

in

in *Grandii* manus altera Epiſtola, Romae a *Vitali Iordano* Matheſeos Profeſſore edita, inciderat, in qua non *Portii* tantum, ſed vetus etiam *Galilaei* ſententia refellabatur. Quare de eo ita *Grandius* loquutus eſt in epiſtola ad *Intierum*: *Neque vero in diſſolvenda praetenſa Iordani ſententia tempus terere fruſtra conabor, nam ſatis obvium eſſe, atque omnibus patere arbitror, quid in illa deſideretur, quominus vim obtineat ad perſuadendum*. Hic loquendi modus *Iordano* valde diſplicuit. Qui profecto, uti vir modeſtus, ingenuus, & a contentionibus alienus, cum *Grandio* minime contendiſſet, niſi eum diſcipulus *Hieronymus Tamburcius* incitaſſet. Romae itaque epiſtolam edidit *Ioſ. Davanzato* nobili viro Florentino miſſam Kal. Apr. MDCCXI. qua ſententiam ſuam tuebatur, & de *Grandio* plurimum obloquebatur. Quam ob rem hic coactus fuit utriſque reſpondere; nec multum temporis elapſum eſt, quum ſub fictitio *Marii de Ceniga* nomine edita a *Grandio* reſponſio fuit. In hac igitur, non modo implicatam adverſarii doctrinam, ſed & eiuſdem levitatem, in propatulo collocavit, quod, ubi *Galilaei* ſententiam in eo libro Romae A. MDCLXXXVIII. typis vulgato, cum hoc titulo: *Fundamentum doctrinae motus gravium*, adprobarat, ab ea opinione falſa ſequuturus defeciſſet. Deinde vero *Iordani*, & *Tamburcii* imperitiam in Matheſi demonſtrare adgreſſus, ipſis problema rectis tantum lineis conſtruendum propoſuit, cuius reſolutio, ter quamquam repetita, numquam tamen recte perfecta ab iiſdem fuit. Illud tamen a *Grandio* reſolutum fuit, ſicut & ab *Hermanno*,

Co-

Comite *Fagnanio*, *Caeleſtino Galliano*, & *Laurenziano*, plurimis ad *Grandium* datis epiſtolis. *Tambuccius* autem iniquo animo reſponſum tulit, & brevi rurſus in arenam, cum *Grandio* decertaturus, deſcendit. At *Grandius*, etſi taedio maxime adfectus, reſponſum, certe illis fatale, iteravit; nam fama eſt, prae dolore *Iordanum* ſupremum diem obiiſſe; atque ita tantae controverſiae factus eſt finis. Hic vero minime praetereundum eſt, quod quum auctor *Iordani* vitae, *Grandium* numquam duo problemata in fine libri *Lemma inſtauratum* inſcripti propoſita diſſolviſſe adfirmaverit, tamen eum falſum eſſe, & hoc *Grandium* in Dialogo paullo poſt in *Marchettium* conſcripto praeſtitiſſe, manifeſtum eſt. Acerbior enim a *Marchettio* in *Grandium* deinde excitata diverſas ob cauſas lis fuit. Ex eo autem praecipue ortam dicunt, quod in Commentario de *Quadraturis &c.* ſecundae editionis inter reliquas, propoſitionem illam, qua ab infinita zerorum quantitate produci aliquid demonſtrare conabatur, ille moleſte tulerit, utpote quae Chriſtianis placitis, ut ipſemet dicebat, adverſaretur. Ex quo patet, quam verum ſit, univerſis temporibus extitiſſe, qui religionis obtentu iniuſtos animi motus contegere auſi ſunt. Sed quum ad *Grandii* aures perveniſſet, *Marchettium* iactare, quod in illo opere errata plurima animadvertiſſet, ea in medium producere *Grandius* ſtatuit, ut futiles quiſque animadverſiones cenſuraſque rideret. Ille vero prolixiorem *Bernardo Treviſano* Patricio Veneto A. MDCCXI. ſcripſit Epiſtolam, in qua ſe *Grandii* ſermone plurimum commotum oſtendebat, praemiſſo Italico epigrammate, cui par *Grandius* repoſuit; illa enim Epiſtola reſpondendi cauſam praebuit, quum praecipue *Viviani* ci-

cineribus inſultaretur importune: quod ut melius adſequeretur IV. Dialogos elucubratus eſt. Verum poſt primi editionem amici, ut conſilium reliquos producendi abiiceret, hortati ſunt. Quare diverſam ſcribendi methodum adgreſſus A. MDCCXII. Apologiam in duas diſtributam partes, quarum ſingulae ſingulis accuſationis partibus reſpondebant, evulgavit. Harum prior valde a *Petro Van-Muſchembroekio* commendata fuit; in ea enim, non ſolum *Marchettium* a *Blondello* in *Galilaei* errore corrigendo praeoccupatum fuiſſe contendebat; verum & eiuſdem *De reſiſtentiis ſolidorum* librum ad trutinam revocavit. Huic appendicem adiunxit, in qua nonnullae continebantur propoſitiones, ad infinitas ſolidorum aequaliter reſiſtentium ſpecies inveniendas ſpectantes. Altera vero pars circa infiniti quaeſtionem verſabatur, ſeque tamdem, ut brevior ſim; ab iis ſe vindicavit criminationibus, quae a *Marchettio* ob divinam omnipotentiam, cum illa infinitorum zerorum ſerie comparatam, obiiciebantur. Ceterum ea *Grandii* reſponſio haud ſatis placuit; ex eo quod errores nonnullos, in quos *Marchettius* inciderat, detexerat; ſic etiam reprehenſus eſt, quod adverſarium extra quaeſtionem inſultarit, Antilunarium ſub Clerici *Ripardelli* a Montetaupario nomine ſcribens, in quo cum illo ferociter admodum egit, & errata ab eo in Kalendario, quod ſub nomine cuiuſdam *Riccii* Empulenſis ediderat, commiſſa animadvertit. Iamque in lucem edita Apologia eſſet, ſed amici communes interceſſere, ut tamdem iratorum animi placarentur: ſed nihil profici potuit. *Marchettius* enim in poſterum *Vivianum*, & *Blondel-*

dellum, *Viros Clariſſimos*, adpellare abnuebat, verum & hoc illi condonaſſet *Grandius*, dummodo infinitorum zerorum doctrinam ad mundi ex nihilo creationem explicandam accommodatam, poſſe ſaltem optimo ſenſu exponi profiteretur. *Marchettius* vero in ſecunda Epiſtola, data die VII. KL. Maii MDCCXIII. ſe, non ſolum id quod obiciebatur, repulſurum, ſed errores etiam inſignes in operibus Antagoniſtae detecturum profeſſus eſt. Quod ex parte exſequutus eſt, anno ſequenti, editione Sermonis cuiuſdam, Lucae excuſi, in quo, nunc ſe memoriae lapſu in errorem, cuius accuſabatur, incidiſſe adfirmabat; nunc diverſimode, ſed inepte, ſe defendere conabatur. Inde vero *Marchettius* quum ad Pontem Ormae, Etruriae ad Arnum oppidum, ruſticandi gratia veniſſet, mortuus eſt a. d. VIII. Idus Septembris, annos natus unum, & octoginta. Cuius poſt obitum non ſolum ſe *Grandius* ab editione tertiae partis Apologiae abſtinuit, ſed eius memoriam, tamquam Mathematici inſignis, excoluit. Paullo poſt, quum duo ab Italiae Geometris problemata propoſita eſſent, *Grandius* in Veneris Ephemeridibus eorum ſolutionem dedit, quae etiam in Actis Eruditorum Lipſiae relata deinde fuit. Neque hic finem viri magni contentiones habuere; vix enim *De Infinitis Infinitorum* tractatus in lucem prodiit, cum in *Varignonium* conſcriptum fuiſſe, creditum eſt, ut ex ipſius Epiſtolis *Hermanno* Patavium miſſis, & in Memorabilibus Regiae ſcientiarum Pariſienſis Academiae A. MDCCVI. relatis, liquido patet. *Grandius* autem apertum Antagoniſtae ſuo bellum indicendi cupidus, occaſionem ex Adverſarii Apologia quadam in Actis Eruditorum Lipſiae impreſſa, menſe Aprili, nactus eſt. *Grandius* itaque anno

ſe-

ſequenti quadam acerrima Proſtaſi pro veri atq decertavit, duo diſſolvens problemata Italiae Mathematicis ab Erudito quodam ſub nomine *Studiapeſi* Canonici Peruſini propoſita. Poſt huius Proſtaſis editionem univerſa inter praeſtantiſſimos Mathematicos controverſia ſopita credebatur, quum *Varignonus* nonnullis *de ſolo anguli contactus puncto* difficultatibus inſurrexit, cui *Grandius* reſpondere abnuit, tum quod paullo poſt inſignis eius adverſarius obierat, tum quod diſſenſio in diverſimode conſiderando circulum, aut ex punctis compoſitum, aut tamquam infinitorum laterum polygonum, verſabatur. In monumentis etiam Pariſienſis Academiae A. MDCCXV. *Varignonus Grandii* doctrinam de infinitis zeris, accommodatam ad mundi ex nihilo creationem perſuadendam, improbaſſe videtur: quo in loco animadvertendum eſt, *Varignonum*, ceteroqui doctiſſimum, hac in controverſia *Grandium* proprio numquam, ſed adgreſſoris tantum, nomine nuncupaſſe, & in Lipſiae Actis *Grandinum* iocoſe dixiſſe. Quantum vero Londinenſi Societati, atque *Iſaaco Nevvtono* illius Praeſidi, defenſio *Valliſii* a *Grandio* ſuſcepta placuerit, ex epiſtola data Non. Maiis A. MDCCXIV. ab altero *Nevvtono Henrico* Londinum reverſo inferri poteſt, in qua praeter alia haec habentur: *Scias quoque velim principia Nevvtoniana, quae iam ſpero a Liburno acceperis, cum ceteris a me tibi deſtinatis, non mihi, ſed maximo auctori, deberi; qui te certe & tua ſtudia amat, laudatque plurimum, ac patriae ſuae gratulatur, talem nobis, & veritati, contra Pariſienſes aemulos fautorem, vindicemque, obtigiſſe*. Quamquam a maximis occupationibus *Grandius* diſtrahebatur,

 ocu-

oculos nihilo minus in *Verzagliam* converſos te-
nebat, qui in Epiſtola ad Geometras miſſa, ac Ceſenae excuſa Idib. Iuniis MDCCXIV. ſe in libro, quem meditabatur, doctrinam de infinitis zeris ad aliquid producendum idoneis confutare velle, pollicebatur, una cum duobus mechanicis *de compoſitionis motuum principiis, ac de actione reactioni aequali*; ſed an fidem praeſtiterit incertum eſt. Ceterum poſt tot, tantaſque, animi perturbationes, ac moleſtias, aquarum controverſiam, quae de ſepe exſtruenda in flumine Herae inter Marchiones *Riccardium*, & *Nicolinium* vehementer agitabatur, examinare coactus fuit. Inſignis haec in Etruria cauſa & lis evaſit, ob eorum auctoritatem, qui propriam ex utraque parte ſententiam tutabantur: celebriores enim Mathematici, cum Practici, tum Theoretici, adfuerunt, *Euſtachius* nempe *Manfredius*, *Grandius*, *Rondellius*, & *Toſius*; qui inter ſeſe acerrime dimicarunt. Binas *Grandius* Diſſertationes ſcripſit, in quarum prima generatim loquutus eſt, ideo quod nondum locum inviſerat; in altera vero, quum iam Iunio menſe, delegatis cum iudicibus, illuc veniſſet, ad rem propius agendam incubuit, exactiſque calculis, fore ut excogitata ſepes funeſtos, proximiſque incolis haud ferendos, effectus neceſſario produceret, luculente probavit. At quum alia ex parte ſuas *Rondellius* iudicibus obſervationes exhibuiſſet, huic *Grandius* reſpondit. *Rondellius* enim auſus fuerat eum redarguere, quod pecuniae cupiditate, & contentionis libidine, impulſus ſcriberet. Summa, quam de aquarum natura & proprietatibus oſtendit, peritia, Magnum Etruriae Ducem *Coſmum*, non mo-

do

do ad illi Matheſeos cathedram tradendam, verum & ad aquarum praefecturam committendam induxit, argenteorum CCC. in ſingulos annos ſalario conſtituto. Id accidit menſe Octob. A. MDCCXIV. Paullo poſt, altera excitata de aquis cauſſa, ad *Grandium* tamquam ad praeſidium tutiſſimum litigatores confugerunt; agebatur enim qui vaſta arva, in oris Ficeclenſis paludis poſita, a ſtagnantibus aquis redimi poſſent. Illuc igitur *Grandius* adiit, illaque damna ac detrimenta ex eo derivari putavit, quod lacus alveus anguſtatus fuiſſet, ut Magni Ducis latifundia confinia ampliarentur, magna illius parte occupata; & remedio quodam periculis & adluvioni conſuluit, quod probatum, ob Geometrarum aliorum difficultates, minime fuit. Sed quum Practicorum res iterum ageretur, altera diſſertatione aliud propoſitum de lacus excavatione remedium confutavit, eamque March. *Franc. Ferronio* inſcripſit, demonſtravitque nullum opportunius, utiliuſque, quam quod inprima lucubratione propoſuerat, adferri poſſe praeſidium. Tertiam praeterea hac de re diſceptationem, judicibus electis miſſam, elucubratus eſt, exiguam Principis utilitatem nequaquam poſſe magno incolarum detrimento anteferri rurſus oſtendens. Iiſdem hiſce temporibus, aliis aquarum negotiis, quae ad Principis rem ſpectabant, detentus fuit. Januario enim menſe pontem, quem torrens, vulgo *Vicinaria* nuncupatus, ſubterfluit, in confinibus ditionis Magni Ducis, ac Maſſae Carrarienſis, poſitum inviſit. Hunc, quum geminis ſubſtolleretur arcubus, ad unum arcum tantum redigendum, ut expeditior aquarum fieret tranſitus, putavit. Martio menſe deinde Piſanam ditionem excurrit, ut quomodo aquas

R 2 il-

illae refraenari poſſent perpenderet; quae a proximo ſtagno exleges erumpentes, magna limi copia rivos, per quos fluunt, obſtruebant. Aprili denique Craſſetum petere ſtatuit, cuius ager ob Caſtellionenſis lacus adluvionem, limo obducebatur; quaeque alii propoſuerant conſilia reiecit, aliaque opportuniora excogitavit. Ad maiora vocatus exinde fuit, dum Bononienſes inter, ac Ferrarienſes, acerrima de Rheni adluvione coercenda cauſſa agitabatur, quae complures ad inter ſe diffidendum illis anſas praebuerat. Ad hanc litem dirimendam *Grandius* arceſſitus una cum *Coeleſtino Galliano* Abbate, nunc Neapolitanae Curiae Praeſide, veluti Pontificius Mathematicus, adſtante Praeſule *Riviera*, nunc S.R.E. Cardinali, cui huius provinciae luſtratio commiſſa fuerat, adfuit. His rebus compoſitis Romam vocatus fuit, ut diſputationibus, quae inter memoratos populos apud Magiſtratus habebantur, adeſſet, breviquè diſſertatione Sacram Congregationem edocuit, Bononienſibus cauſam adiudicandam. Qua de re toto ferme anno Romae commoratus eſt, & ei Coenobii Camaldulenſium Monachorum, quod S. *Michaelis* nomine cenſetur, Piſis ob ferventia Etruſci Magni Ducis apud Pont. Max. ac aliorum virorum Principum, pro illo ſtudia, ac preces, commiſſum regimen fuit. Tunc illum *Clemens XI.* Pont. Max. valde dilexit, ſummam admiratus *Grandii* doctrinam; inter alia enim, quum quaſdam illi Sinenſi lingua exaratas Geometricas propoſitiones Pontifex oſtendiſſet, ille, quamquam idiomatis imperitus, quid tamen ſibi illae vellent primo intuitu, mira menti ſagacitate, percepit, ac demonſtravit. Piſas A. MDCCXVIII. ad creditum ſibi munus reverſus, Geometricum

car-

curriculum rurſus ingreſſus eſt, & de Ficeclenſis paludis rebus commentarionem confecit; & alteram pro amoeniſſimo Marchionis *Ferronii* rure Bellovi-ſu, & de operibus circa vallem Neulae factis, quae accolis minime placuerant, exaravit. Sumta deinde ex altera editione *Galilaei* operum occaſione, ultimam tractatui *Vincentii Vivianii* de reſiſtentiis ſolidorum manum impoſuit, plurimisque novis inventis locupletavit, ſaepiusque in illo auctore enucleando quibuſdam, quae in eius mentem numquam profecto venerant, uſus fuit; nec ſe cohibere potuit, quin reprehenſioni illi ab *Alexandro Marchettio* inlatae in Sermone ante illius obitum typis excuſo reſponderet, oſtendens non ſe, verum Antagoniſten ſuum, a vero procul aberraſſe. Animadverſiones huiuſmodi in tertio operum *Galilaei* Tomo deſcriptae fuerunt; quin & ad rem clariorem reddendam circa corpora aquis innatantia, quaedam aliae illius propoſitiones, ad motum ſolidorum in fluidis ſpectantes, additae fuerunt; & ad Dialogorum illuſtrationem, eius de motu accelerato tractatus in eodem opere inſertus fuit. Exorta paullo poſt inter Cucullaros ſui Ordinis de ſuffragiis ferendis controverſia, reſponſum dedit hoc titulo: *Lectorum clauſtralium Camaldulenſium, authoritate Reverendiſſimi Definitorii in deſignatis Monaſteriis conſtitutorum, ius ferendi ſuffragii in Capitulis generalibus ſui Ordinis, excluſive quoad publicos Profeſſores ſaecularium Univerſitatum ſola Principum authoritate delectos, aſſertum, & demonſtratum per Tiberium Vedmannum I. C. adverſus Diſſertationem, qua ſimile ius ſibi deberi praetendit D. Iuſtus Venturinus Theologiae Moralis in Flo-*

rentino Studio Profeſſor, ad Reverendiſſimos PP. Generales, & Viſitatores Camaldulenſes &c. Rurſus A. MDCCXIX. Padum arceſſitus adivit, quoniam propter excitatos ab Mediolani Praeſide, aliisque Inſubriae Civitatibus, tumultus, neceſſe erat, ut illuc properaret; ubi *Grandius*, non modo ut Pontificius Mathematicus, verum etiam, ut a Cremonenſibus popularibus ſuis vocatus, adfuit, quae a menſe Decembri uſque ad Martium ſequentis anni deducta conſultatio fuit. Adfuerunt etiam Praeſul *Rinuccinius* Apoſtolicus Inſpector, Dux *Lattermannus* Caeſareus Commiſſarius, *Conradius*, *Ceva*, & *Moſcadellus*, Mathematici Mutinenſes, ac Mantuani, ut reliquos ſileam, qui a Ticinenſium parte ſtabant. Tunc oblata occaſione *Grandius* nonnullas commentationes lepore non minus, quam ſolidis rationibus, refertas edidit; quamvis nihil inde profecit, licet apud Principes omnibus Mathematicis rationibus *Grandii* conſilium praevaleret. Incepta rurſus Padi inſpectione menſe Martio, una cum viro nobili Veneto *Petr. Capello* Reip. Commiſſario a Lacu obſcuro ad fluminis oſtia; & inde ad Petram Sanctam diſceſſit, a Communi illo vocatus, ut lacum, vulgo *Portus Beltrami* dictum, inviſeret; qui turbulentis aquis iacentes undique campos mergebat, cui malo opportuna remedia propoſuit. Fluminis Ebulae quoque ex alveo in vicina arva evagantis adluvionibus ut obicem opponeret a Cardinali de Comitibus Ciculum, oppidum illi fluvio imminens, miſſus eſt. Editum interea opera, ut fama eſt, V. C. *Io. Bottarii* A. MDCCXXII. eius commentarium de Conicis *Apollonii* Sectionibus

Etru-

Etruſce conſcriptum; quod viri docti quanti fecerint ex eo colligitur, quod eruditi Lypſienſes in Actorum Eruditorum Supplementis Tomo VIII. illud maximi fecerint; & *Christianus Huſen* Matheſeos Profeſſor, in Latinum tranſtulerit ſermonem, & in Hiſpanum *Io. de Anguillara*, militaris Architecton. Huius denique opuſculi alteram Romae editionem faciendam curavit, quam brevibus quidem, ſed neceſſariis animadverſionibus, auxit P. *Octavianus Cametti*, Ordinis S. *Io. Gualberti* Monachus, vir ſeverioribus doctrinis egregie excultus, & Mathematicorum noſtro aevo praeſtantiſſimorum unus; a quo Florentini nobiles nonnulli praeclare erudiuntur. A. MDCCXXIII. Regali Londinenſi Societati *Florum Geometricorum Manipulum* miſit, qui in menſium Iulii & Auguſti Tranſactionibus relatus fuit. Haec integra eius inventio dulciſſimum legenti ſolamen praebet, quum intricatiores computationes ad ſyntheſin brevitate ſua, ac claritate, redegerit. Eodem temporis intervallo e Regio Typographio Florentino Auctorum de aquarum motu agentium Collectio prodiit, ad quam locupletandam multum contulit *Grandius*. Praeter enim lucubrationes adrepta, quam obtulerunt flumen Hera, ac Ficiclenſis lacus, occaſione compoſitas, *de aquarum motu* & ipſe Geometricum tractatum inſeruit, quo Hydroſtathicam novis luminibus, ardua ſolvens problemata, illuſtravit. Hic quoque valde uſus eſt viribus, a lateribus Parallelogrammi in diagonali compoſitis, ad fluminum motum accommodatis; id, quod brevius antea *Io. Bernoullius*, ac *Bernardinus Zendrinius*, fe-

cera t. In Etruſcum praeterea ſermonem *Archimedis de ſolidis in fluidis innatantibus* opus tranſtulit, & ad propoſitionum obſcuriorum declarationem lemmata adiunxit. Hac tempeſtate ſuam ſcriptis commiſit *Diacriſin*, Sermonem ſcilicet hexametris contextum carminibus, in Philoſophiam *Novo - antiquam Thomae Cevae* Societatis Ieſu Presbyterum, a P. *de Briga*, eiuſdem cohortis milite, iterum Florentiae editam, ut libellus de more, in publica Theſium Philoſophicarum defenſione, iis, qui convenîſſent, diſtribueretur. Iamque multum antea contumelioſis calumniis, Scholaſticisque nugis, contra recentiores Philoſophos nonnulli inſurrexerant, novas haſce doctrinas a recta via iuventutem removere & in pravam abducere reputantes. Novae igitur memorati libelli editioni addita Praefatio inconſulta fuit, in qua Peripateticae Philoſophiae contemtum ab haereticis derivari, ac neotericos occulte religionem labefactare, ſtatuebatur. Haec igitur nonnullis Piſani Athenei Profeſſoribus ſtomachum induxerant, quum de Atheneo illo nominatim iniurioſa quaedam dicerentur; ſed a docto, prudentique, *Ant. Maria Salvinio*, qui cenſor a Praeſidibus lectus fuerat, illius Academiae commemoratio deleta fuit. Quare *Grandius* ſub nomine *Q. Lucii Alphei* Diacriſim illam ſcripſit, libellum *Thomae Cevae* ad examen & trutinam revocans, quum antea parvipendiſſet, magis pro eleganti Grammaticali opuſculo, quam pro Philoſophico, habendum eſſe ratus, ut in Diacriſi legitur.

Haec

Haec primum ut prodiit inter
Haud ſane illepidas ſilvas, luſuſque, iocosque,
Fabellas corvi, muriſque, cucurbitulaeque,
More loqui Vatum tunc te, non more Sophorum
Credideram, innocuis atque otia fallere Muſis;
At nunc ſeria res agitur &c.

Et revera *Grandius* oſtendit, quam male libello Philoſophiae *Novo-antiquae* nomen competeret, quum nonnullas ra tum Peripateticorum ſententias referret, modo *Democritum*, modo *Carteſium* deridens. Ideo vero, quod numerorum in verſibus lex, animi ſenſus, uti volebat, declarare non ſiverit, ſcholia addidit ſub *Iani Valerii Panſii* nomine, quorum auctor *Paſchaſius Iannettius*, qui omnino Philoſophiam *Novo-antiquam* merito adſpernabatur, ab imperitis rerum aeſtimatoribus reputatus fuit. Haec uſque ab anno MDCCXXII. conſcripta fuerat; verum ob rigida *Coſmae III.* Magni Ducis interdicta, manuſcripta tantum per diverſas Italiae partes circumferebatur. Sed quum obiiſſet *Coſmas*, & *Io. Gaſto* clementiſſimus, & doctiſſimus Princeps, nam *Leibnitii*, ut dicitur, ſectator fuit, ſucceſſiſſet, *Grandius* erexit animum, atque Sermonem typis vulgandum curavit. Duobus elapſis annis *Ceva* Philoſophiam ſuam *Novo-Antiquam* rurſum edidit, additamentis nonnullis adſutis, ac praefatione, ad *Grandii* oppoſitiones apologiam exhibente. Menſe Octobri A. MDCCXXIV. vertentibus diſſenſionibus inter Commune Bargae,

op-

oppidi Magno Duci ſubditi, & Gallicani & Fiattonis incolas, in Lucenſi ditione, *Grandius* Lucam contendit, ut id, quo de agebatur, plenius meliuſque perciperet; cauſſam tamen pro Bargae populo, ſine ullo ambarum partium incommodo, compoſuit. Annis ſequentibus ad litem alteram dirimendam vocatur, quae inter Peritos quoſdam, de novo aedificando piſtrino in loco dicto *Arboreto Anconellae*, fervebat; cuius conſtructio ab eo minime probata fuit, ob excreſcentis Arni inundationes. Scripſit etiam pro Lucenſi Epiſcopatu adverſus Patricium quemdam, inter quos diſſenſio ab A. MDCCVI. inceperat & annos poſt XX. iterum in foro excitata fuerat. Liburnum deinde arceſſitus eſt, ut aquarum ſedimenta & coenum, quae portum replebant, improbatis aliorum conſiliis, cohiberet; decrevitque producendos eſſe ſcopulos a turri dicta Marzocco, in aquis prope portum poſita, ad portum ipſum, ut ab ea parte arenis Capitis Labronis, & Arni, ingreſſus prohiberetur. Quamquam alia deinde attente perpendens, aliorum conſiliis inhaeſit; & Liburni portus priori in ſtatu relictus eſt. Hiſce paulatim compoſitis acerrimas iterum contentiones ſuſcepit. Typis enim Epiſtolam de Pandectis mandavit, Cl. *Ioſepho Averanio*, Iuriſprudentiae in Piſano Academia Profeſſori dicatam; quae ſequenti anno rurſus prodita in vulgus Florentiae fuit, variis aucta animadverſionibus, & L. ineditis medii aevi documentis locupletata. Haec recta *Henrici Brencmanni* opinionem refellebat; unicum namque Pandectarum exemplar

per

per plura ſaecula Piſanos habuiſſe, & *Iuſtiniani* ipſius autographum fuiſſe, denegavit in ea Epiſtola *Grandius*. Et quoniam memoratus Auctor vulgari adhaerens opinioni, exemplar illud a Piſanis Amalphi adquiſitum fuiſſe, quum Anno MCXXV. urbem depopulati ſunt cenſuerat, hoc & in dubium revocavit; quum nulla habeatur horum Pandectarum mentio, niſi pluribus poſt ſaeculis in Chronico implicatiſſimo, ex Gryphiana domo a *Bologninio* eruto. In Animadverſionibus vero *Virg. Valſechii* Epiſtolam *De veteribus Piſanae Civitatis inſtitutis*, quae cum eius ſententia magnam praeferebat adfinitatem, expendit, veteremque hac de cauſſa arcanis notis ſcribendi modum, iam a *Mabillonio*, & *Muratorio* obſervatum, interpretatus eſt. Quapropter in literariam cum *Bernardo Tanuccio*, iam eius diſcipulo, & amico, nunc vero Marchione, & Regis Neapolis a Conſiliis, incidit diſſenſionem. Ea tempeſtate Piſani Profeſſores in geminas diſtrahebantur partes. Iuniores cum ſenioribus modica utebantur familiaritate, quod illis vitio vertendum non fuiſſet, ſi omni remota invidia ex ſtudio eos ſuperandi id defluxiſſet. Ceterum mihi ſat eſt dicere, atque adfirmare, procul ab hominum conſpectu degere ut plurimum *Grandium* ſueviſſe, & alienis abeſſe litibus; quin & tunc ab omni Piſano Lyceo maximi habitum. Verum, utcumque ſe res habeat, duobus in locis de *Tanuccio* latenter perſtringens loquutus eſt. Primo quidem in Nota ad Epiſtolam, ubi quibuſdam reſpondens, qui illum, quod primam claramque de Pandectis mentionem *Petro Bleſenſi* tribuerat, redarguebant, ita ſcripſit: *Locum hunc*

non-

nonnulli calumniati ſunt, quaſi primam Pandecta-rum notitiam Petro Bleſenſi imperite tribuerim. Secundo in correctionibus, & additionibus, operis, ubi, quum quaedam retractaret, & illud in primis. quod in Epiſtola, phraſim *vacua poſſeſſio* in Pandectis tantum reperiri dixiſſet, non autem in Iuſtinianeo Codice, ſe correxit, dicendo ſe ideo erraſſe, quod cuidam Iuriſperito, qui id ei conſtanter adſeveraverat, credidiſſet. *Tanuccius* hac oblata occaſione cum *Grandio* contendere adgreſſus, quemdam Lucae A. MDCCXXVIII. typis *Dominici Ciuffetti* excuſum libellum emiſit. Hic quamquam a praedictis ſe purgaret iniuriarum notis, alium tamen finem ſpectare quibusdam viſus eſt; adulandi ſcilicet Piſano populo, & eum in *Grandium* concitandi, ideoque opus ſuum Piſano Senatui dicaviſſe; quamquam hanc illius fuiſſe mentem, minime credo. Illi *Grandius* par pro pari perſolvit, non ut ſe a reprehenſionibus vindicaret tantum, quantum a calumnia, qua contra Piſanos agere diffamabatur, quod Pandectarum translationem Amalphi inficiaretur; & denique ut populo ſatisfaceret, ea propter commoto, atque acriter irritato. Et revera duarum hebdomadarum ſpatio domi metu permanſit, & non niſi caute Coenobio egreſſus eſt, ne ſe popuları Piſanorum irae exponeret. Tum igitur ſecunda reſponſio a *Grandio* confecta fuit, Cortonenſi Academiae, cui ſuam etiam *Tanuccius* inſcripſerat, nuncupata. Ex hac, quantum in legibus verſatus eſſet, maxime patuit, ſuam contra Pandectarum Amalphi inventionem ſententiam declarans, non modo nullum Piſanis dedecus, ſed laudem po-

potius, ac gloriam adtuliſſe obſervans, quum iis praeſtaret, exemplar illud dono a Conſtantinopolis Imperatore accepiſſe, quam caſu in Amalphi urbe deripuiſſe. Pro iniuriis vero inlatis Adverſario par reddidit, praeter cetera fabulam Salmaſi de ſimia in illum transferens, opuſque cum *Edmundi Merilli* verbis in *L*. 13: *Cod. de contrahend. & committend. ſtipul.* abſolvit. Nulla interpoſita mora *Tanuccius* A. MDCCXXIX. reſpondit, magno volumine, Italico ſermone exarato, in quo materiam maiori cum eruditione, atque peritia, tractavit atque digeſſit. Haec editio magis atque magis Piſarum populum exacuit, quia opus idoneum ad gloriam, decuſque, Piſanum ſervandum eſſe rebatur. At quum *Tanuccius* ne contentio ulterius progrederetur apud Florentinos Preſides curaſſet, *Grandius* tamen Antagoniſtae criminationes confutaturus paucis poſt menſibus Faventiae A. MDCCXXX. ſub *Bartoli Luccaberti* nomine novum Pandectarum examen in lucem edidit, quod licet prolixum, mira tamen felicitate conſcriptum fuit; in eoque *Sigonium* redarguit, probavitque contra *Balutium*, *Pagium*, *Caveum*, alioſque Criticos, non fuiſſe revera *Ivonem* Decreti, ſeu Canonum Collectionis, quae ei tribuitur, auctorem, ſed alterius Collectionis, quam Pannormiam inſcripſit. Hoc opus licet in Etruriam invehi vetitum fuerit, nonnulla tamen eius exemplaria clam inlata fuerunt, quae *Tanuccio* alia contra *Grandium* moliendi occaſionem praebuerunt; ita ut, quum libri auctor ignoraretur, flammis mandari iuſſum fuerit, quod factum fuiſſet, ni verus illius auctor innotuiſſet. Ante *Novi Examinis* editionem, opuſculum aliud *De*

Interpolatione Gratiani, ſub fictitio *Diomedis Bravae* Patricii Tranenſis nomine, typis commiſit, cuius auctoritate deinde in *Examine* uſus eſt, non ſine inſignis fraudolentiae & impoſturae nota. Nonnullis elapſis menſibus ſopitae diſſenſiones fuerunt, & duo celebres Antagoniſtae in *Paſchaſii Iannettii*, communis amici, domum convenere, una cum iis, qui in controverſia partem habuerant, atque ita pax inter eos ita compoſita fuit, ut omnis deinde ira, odiumque ex eorum animis eradicatum ſit. *Iannettii* quoque precibus *Grandius* ſe a libro *Io. Baptiſtae de Vico, De novae ſcientiae principiis*, confutando abſtinuit; nam *Tanuccius* eius auctoritate contra *Grandium* abuſus fuerat. Verum ante quam a quaeſtione hac recedam, non omittendum eſt, quod perhonorificum *Grandio* contigit. A. enim MDCCXXXIII. *Chriſtianus Gotlib. Schvvarzius*, publicus Altorfii Profeſſor, publico ſolemnique in congreſſu propugnavit, omnia Pandectarum, quae modo extant, exemplaria, non e Florentinis, vel Piſanis, tantum eſſe depromta: id quod antea *Grandius* in Epiſtola demonſtrare conatus fuerat; quae etſi latuiſſe *Schvvarzium* videatur, eam non ignoravit tamen *Henricus Brencmannus*, cui *Ioſephum Averanium* miſiſſe fama eſt. *Brencmannus* autem, quamquam adverſa valetudine teneretur, a *Schvvarzii* diſceptatione amplius commotus, utriſque reſpondit A. MDCCXXXV. hoc titulo Reſponſioni inſcripto: *Henrici Brencmanni Epiſtola ad V. C. Franciſcum Heſſenium, qua examinantur praecipua capita Epiſtolae V. C. D. Guidonis Grandii de Pandectis, nec non Diſſertationis ſimilis argumenti Auctore V. C. Chriſtiano Gotlib. Schvvarzio. Traiecti ad Rhenum.* Ille igitur fuit hu-

huius eruditi certaminis exitus, propter quod nihil *Grandius* de Matheſeos ſtudio remiſit. Quum enim eſſet A. MDCCXXIX. Viſitator Generalis ſui Ordinis renunciatus, *Pet. Fran. Riccio* Senatori Florentino Ampliſſimo, de auxilio & praeſidio Principum in Aſtronomiae ſtudiis neceſſario, deque Aſtronomica Specula Piſis excitanda Epiſtolam ſcripſit, quae formis deſcripta legitur in opuſculorum ſcientificorum, quae Venetiis eduntur, Tomo XX. Anno deinde MDCCXXX. *Flores Geometricos* Florentiae publici iuris fecit, opus novitate ſua maximi habendum, quamvis aliqua eius pars, ad Rhodoneas ſpectans, tribus ante annis, in Anglicis Tranſactionibus, ut diximus, edita fuiſſet. Anno tamen MDCCXXVII. rurſus hoc opus *Cloeliae Grillae Borromeae*, Comitiſſae eruditiſſimae, dicatum prodierat, cui Cloeliarum linearum, earumque proprietatum, ſpeculationes adiunxerat; & hoc, anno ſequenti, in Italicum ſermonem translatum fuit a *Thoma Narduccio*, Patricio Lucenſi, Geometra periti ſſimo. Interea ad viſendum Padum iterum ſe contulit, ut ſtagnantes Rheni aquas, in aliquod Eridani cornuum (& quod *Volani* dicitur elegit) perenni curſu derivaret. A. MDCCXXXI. D. *Petri Urſeoli* vitam, iam pridem ab eo inceptam, & tunc *Petro Garzonio* Veneto Senatore hortante tandem abſolutam, publici iuris fecit. At, ſopitis aliquantulum ſuperioribus controverſiis, in alteram haud minorem incidit cum *Fidele Soldanio*, Vallumbroſano Monacho, qui nonnullas de ſui Ordinis hiſtoria diſceptationes ediderat, & *Quaeſtiones Vallumbroſanas* inſcripſerat; in quibus quaedam, quae ad Congregationis Vallumbroſanae hiſtoriam adtinent, a *Grandio* in *Diſſertationibus Camaldulenſibus* ad-

admodum perverſa fuiſſe, probare incaſſum conabatur. Huic *Grandius* anno ſequenti ſub *Vitalis Martii* Camaldulenſis nomine, acriter ac prolixe reſpondit. Porro anno MDCCXXXIII. ſecundam *Queſtionum Vallumbroſanarum* partem *Soldanius* vulgavit, quarum vix praefationem, ac rerum notabilium indicem inſpexit *Grandius*, ſtatim nonnullis Epiſtolis, apologeticis ſubſecivis horis conſcriptis, & ſub laudati *Martii* nomine pariter editis, acerrime *Soldanium* confutando, ſuam ſententiam propugnavit. His *Soldanium* reſpondiſſe ferunt, ſed eius reſponſio numquam in medium prodiit, quod eius examen ab duobus inſignibus ſui Ordinis viris habitum fuerit, qui hanc litem tamdem praecidendam eſſe dixerunt; & ne reſponſionem ederet *Soldanio* vetuere. Sunt qui adfirment, *Grandium*, quum, ne in hoc certamine ſuccumberet, vereretur, apud Vallumbroſani Ordinis Praeſides ita callide egiſſe, ut hi *Soldanio* non multum benevoli, cum ulteriori ſcriptione interdixerint. Id quidem a prudentibus viris iure optimo improbatum fuit, quum nulli umquam in veritate inveſtiganda progreſſus impedire fas ſit. Eodem anno nonnullae *Grandii* Epiſtolae Mathematicae *Thomae Narduccio* miſſae, in opere, quod hic Lucae de *Quantitate motus fluentium aquarum* publici iuris fecit, prodiere In iis inter alia *Camuſii* doctrinam in Academiae Scientiarum Pariſienſis Memorabilibus in vulgus proditam A. MDCCXXVIII. quae ad diverſam virium, moles elaſticas comprimentium, conſiderationem adtinet, redarguit; eoque etiam demonſtrationem de viribus proportionalibus ad velocitates ſimplices ab Equite *Lo-*

vil-

villaeo & a *Fontanellio* in Academiae Hiſtoria relatam, falſis initi rationibus evicit. Quum interim de formulis *Bonae Memoriae*, *Piae Memoriae*, & ſimilibus, quum de vivis ſermo eſt, adhibitis, diſſertationem elucubratus eſſet, in Opuſculis A. MDCCXXXIII. a P. *Calogera* editis exhibita fuit. Verum Anno MDCCXXXIV. quum Romam cuiuſdam Galli Epiſcopi libellus perveniſſet, quo ille non poſſe eo anno die VII. KL. Maias celebrari Paſcha contendebat, quod tempus huiuſmodi feſto ſtatutum dies ille excederet, & quod ex Aſtronomicis ſubputationibus Lunae diem XIV. Paſchalem in diem XVII. eiuſdem Menſis incidere deprehenderetur, delatum a Pontifice Maximo munus *Grandio* eſt, id totum ad examen revocandi. Id ut expediret alias Eccleſiam, Caeſareae Synodi computationibus derogaſſe & Lunam XIV. licet ante plenilunium Dominicam diem inſequutum contingeret, tamen quum circa mediam praecedentem noctem fieret, die Sabbati non accidiſſe, adfirmari poſſe probavit. Eodem anno rurſus Piſani Coenobii Abbas renunciatur, ubi tempus vitae ſuae reliquum tranſegit, inſtituendis diſcipulis, doctiſque comentationibus lucubrandis, incumbens. Amicis uſus eſt inter ceteros familiariſſime *Ioſepho Averanio* Iureconſulto, *Michaeli Angelo Tillo* Philoſopho & Botanices Profeſſore, *Gerardo Capaſſio*, & *Virginio Valſechio* Theologis, *Ioſepho de Papa*, & *Paſchaſio Iannettio* Medicis, & Philoſophi, & huius poſtremi conſuetudine in primis delectatus eſt: vir enim erat in literis verſatiſſimus, ac latentium naturae cauſſarum ſcrutator eximius. A.

MDCCXXXV. Ordinis Camaldulenſis Exgeneralis a *Clemente XII.* Pont. Max. renunciatus legalem continnavit diſſertationem, pro decreto quodam in Comitiis ſui Ordinis facto, de mutatione coloris pilei, ex albo in nigrum, contra Abb. *Galamini* ſententiam. Hoc munus ſibi impoſitum libentiſſime ſubſcepit, quia adverſarius ſibi antiquus acerrimuſque, & *Cannetii* maxima cum *Grandio* familiaritate coniuncti antagoniſtes, ille fuerat. Poſtea Fratris *Ambroſii Traverſarii* Epiſtolas a *Cannetio* collectas recenſuit, ac praefationem elogiumque Auctoris praemiſit; quae modo ſub praelo ſudant nonnullis *Ioannis Lamii*, aliorumque, Animadverſionibus locupletatae. Anno MDCCXXXVI. aliam ſuam de aquis diſceptationem edidit quatuor ante annis exaratam, in controverſia, quae inter Equeſtrem *D. Stephani* Ordinem, & Commune Sinalongae, oppidi in valle Clanis ſiti, verſabatur. Ad damna igitur, quibus, exundante fluminis Foenna, Commune illud adficiebatur, cognoſcenda ſe contulit, ſuumque conſilium ſapienter laudateque propoſuit. A. MDCCXXXVII. a *Bernardino Gessario* rogatus ſuum *De Sectionibus Conicis* Compendium in Latinum ſermonem transferens recenſuit, auxit, perfecit. Quod quidem eius extremum opus quodammodo dici poteſt, vix enim aliud opus deinceps adgreſſus eſt, quum viribus langueſcentibus, mentisque acie prae capitis ſtupore obtuſa, ac memoria ſenſim evaneſcente, a ſtudiorum contentione ceſſare cogeretur. Adeo vero morbus crevit, ut vix amicorum nominum ei in mentem veniret; rerum tamen cognitionem ſervabat, quamquam

ver-

verba aliquando ad mentis conceptus exprimendos deficerent. Numquam tamen omnino a commentando, morbum & ipsum fallens, deſtitit: Lexici ope, epiſtolam D. *Ponti* Monacho Camaldulenſi ſcripſit, nonnullaſque in Vitam S. *Bononii* Animadverſiones adiecit. Suſcepit etiam in tam infelici ſua valetudine ſui Mathematici Curſus editionem: At *Euclidis* Elementa brevius demonſtrata, & exilem de Arithmetica tractatum, tantum prodere potuit, quibus ſuas addidit praecipuas quaſdam Geometricas meditationes; ex quibus qualiter in aegro corpore mens ſe haberet ſinari poteſt. Inter haec cuſum illi eſt, opera *Antonii Franciſci Gorii* antiquarum rerum ſtudioſi, numiſma. Ad totum uſque annum MDCCXXXIX. demi praelectiones tradidit, donec in dies paulatim deficientibus viribus a tradenda Algebra deſiſtere coactus fuit. Toto igitur anno MDCCXXXXI. tamquam ſtupidus vixit; & quamvis credendum non eſt, tantum ei cognitionis non ſuperfuiſſe, ut ſuam infelicitatem intelligeret, nihilominus nulla de hoc eius audita querela fuit, duoſque ferme annos tam miſerae vitae taedium pertulit. Inter haec, quum Maximo Pontifici *Benedicto XIV.* per literas Venetum iuvenem *Coſtadonium* commendaſſet, ab eodem reſponſum officii ac benivolentiae plenum accepit. Ineunte Maio Anni MDCCXXXXII. in extremum incidit languorem, nihilo tamen minus ſacrum quotidie fecit, diviniſque caeremoniis una cum reliquis Monachis adfuit. Die vero XXVI. Iunii defectus prorſus viribus in cubiculum a domeſticis ducitur, ubi profundo lethargo merſus, fortitudine tamen Philo-

Ioſepho ac Chriſtiano homine digna, pridie Nonas Iulias, viceſima tertia circiter diei hora; è vita exceſſit, annos natus LXXII. Geminis elapſi diebus, cadaver in Coenobii templo, ſordidatis tapetibus, lugubribuſque veſtibus atrato, expoſitum fuit; & *Euſebius* Piſanus Patricius, patriaeque Eccleſiae Canonicus, publicuſque illius Athenei Profeſſor, ſacrificio oblato parentans ſuprema iuſta rite perſolvit. Interim a P. *Maffeio* Piſano, ex Canonicorum Regularium familia, habita eſt in eius laudem oratio concinna & elegans; quibus abſolutis cadaver in monumento, hac ipſa de cauſſa a grata P. *Auguſtini Forzonii Accoltii* erga Praeceptorem pietate excitato, conditum eſt. Hoc adpoſitum epitaphium fuit:

D. Guidoni Grandio Cremonenſi
Camaldul. Ordinis Exgenerali
Annos XX. Monaſterii huius Abbati
In Piſano Lyceo primum Philoſophiae
Deinde Matheſeos Profeſſori celeberrimo
Geometrae nulli ſecundo
Editis ingenii praeclaris monimentis clariſſimo
Theologo ſummo Pontificii & Caeſarei Iuris
Hiſtoriae cum ſacrae tum profanae peritiſſimo
Quod templum hoc praetioſa ſupellectile
Monaſterium aedificiis Bibliotheca
Reditibuſque eidem attributis locupletarit
D. Auguſtinus Fortunius Forzonius-Accoltius
Monachus
Eidem Bibliothecae Praefectus
Viro de univerſo Ordine de litteraria
Republica
De ſe optime merito

Pe-

Perenne grati animi monumentum
Obiit IV. Nonas Iulii MDCCXLII.
Aetatis ſuae anno LXXII.

Membris compactis ac craſſioribus, fortique ac robuſto naturae temperamento fuit; adeo ut, laboris, & vigiliae, patientiſſimus, uno tantum cocolatae poculo ſumto, integros dies interdum meditando tranſigeret. Nemo mores eius integros, probatamque vivendi rationem culpa e, ut ipſemet ait, & ab urbanitate & honeſtate umquam alienam, dicere eſt auſus. Animum fuci neſcium, erga omnes benevolum, ſervavit ſemper; ſincerae veritatis indagator, aſſentantium artes non didicit, technas odit. Amicitiam ſervavit conſtanter, ni maligne ab altero rumperetur. Quamquam ille a Mathematicis plurimum adliceretur ſtudiis, nihilo tamen minus doctrinas reliquas mira felicitate comprehendit. Ad haec Theologia, Iuriſprudentia, ſacra & profana Hiſtoria, Res Diplomatica, atque Antiquaria, quae omnia eximie praecallebat, accedunt. Nec tamen, ut ridiculi quidam noſtri aevi Eruditi, Latinam, Tuſcanicamque Poeſim abhorruit, ut plura eius elegantia carmina typis mandata teſtantur. Quin & extemporalia carmina fundere incredibili facilitate conſuevit. Nihil denique, quod ab humana mente percipi poſſit, virum doctiſſimum latuit. In parvis etiam momenti quaeſtionibus, ut veritatem adſequeretur, nulli parcebat labori. Hinc, quum acerrima a *Soldanio* controverſia agitaretur, in tantum *Grandio* diligentia cordi fuit, ut, quum in Bibliotheca Riccardiana D. *Ioan-*

nis *Gualberti* Vitam MS. adſervari intellexiſſet, ad eam recognoſcendam ſe ſtatim contulerit; qua occaſione MS. Fr. *Ambroſii* Camaldulenſis Codicem autographum, qui *Laertii* verſionem Latinam continet, vidit, evolvit, comprobavit. Ab ipſis Regibus magnis praemiis propoſitis ad ſe plurics invitatus fuit; & a *Victorio Amadeo* Sardiniae Rege praeſertim, & a Venetis; ut in Taurinenſi & Patavino Atheneis Geometriam profiteretur; ut reliquos ſilentio praeteream. Inſtructiſſimam moriens Monachis Bibliothecam, argenteorum ſcutatorum MMDCC. ſumma dotatam, reliquit, eique laudatum *Auguſtinum Forzonium* praefecit. Coenobii res locupletavit, amplificavitque, magnifica in Monachorum uſum villa exſtructa. Ex florentiſſimo denique eius auditorio, tamquam ex equo Troiano, doctiſſimi evaſerunt viri, inter quos *Thomas Perellius*, qui mira ingenii ſagacitate, ac multiplici doctrina praeditus, Piſis Aſtronomiam multa cum laude profitetur. Memorandi quoque ſunt P. *Claudius Fromondus*, eius non tam auditor, quam ſymmyſtes; & Eques *Carolus Cerbinius*; quorum primus Philoſophiae in eadem Academia Profeſſor, naturalium rerum perſcrutator incomparabilis, ob egregiam morum integritatem cum doctrina coniunctam, exiſtimationem apud omnes meret; alter vero *Grandii* & auditor & conſiliorum particeps fuit, ſub quo adeo in diſciplinis progreſſus eſt, ut ingenii perſpicientiam & alacritatem admirabilem cum ſedula ac profunda Geometricarum rerum, aliarumque doctrinarum contemplatione coniungeret. Nec praetereundus *Io. Lamius*, qui propius tanti ducis

ve-

veſtigia inſiſtens nomen ſuum, immenſis pro literaria Rep. laboribus exantlatis, temporis edacitati ſubduxit. Amicos vero habuit quamplurimos, cum quibus ab iuventute literarium commercium ſervavit. Inter hos commemorandi ſunt primum, qui de Mathematica per literas plurimum diſſeruerunt, *Franc.* ſcilicet *Blanchinius*, *Thom. Ceva*, *Antonius Contius*, *Thomas Deram*, Comes d' Erbeſteim, *Iacobus Hermannus*, Comes *Iulius Fagnanius*, *Coeleſtinus Gallianus*, *David Gregorius*, qui ſub Grandii oculos, literis datis XXVI. Aprilis An. MDCCIV, ſuum opus Mathematicum, quod recenſeret, poſuit, his ad eum verbis ſcribens: *De quo accuratiſſimi tui iudicii cenſuram libenter exſpecto, quum eo acumine libri tui expoliti, eo candore literae ſint perfuſae; ut te iudicem perſpicacem ſimul, & perhumanum facile ſpondeant*. Alii amici huiuſmodi fuerunt, *Iohannes Inglis*, *Goth. Leibnitius*, *Laurentius Laurentinius*, *Euſtachius* & *Gabriel*, *Manfredii*, *Iacobus Philippus Maraldus*, *Ioannes Iacobus Marinonius*, *Thomas Narduccius*, Marchio *Ioannes Polenius*, qui Grandio Epiſtolas duas ſcripſit, in quarum prima nonnulla *De Telluris forma*, in altera quaedam *De cauſa motus Muſculorum* proponuntur; *Victorius Franc. Stancarius*, *Chriſtianus Wolphius*. Inter eos vero, qui de diverſi doctrinis egerunt, hi recenſendi ſunt: *Franciſcus Ariſius*, *Anſel. Bandurius*, *Baglivius*, *Laurentius Bellinius*, *Thomas Bonaventurius*, *Benedictus Brixianus*, *Ioannes Baptiſta Caſottus*, *Ioannes Marius Creſcimbenius*, Pater *Stephanotius*, *Iuſtus Fontaninius*, Canonicus *Gagliardius*, *Lanciſius*, Marchio *Scipio Maffeius*, Comes *Laur. Magalottius*, *Antonius Magliabechius*, *Edm. Marteue*, *Bernard. Montfau*-

ponius, *Ludov'cus Antonius Muratorius*, *Marcellus Severolius*, *Henricus Nevvtonus*, & *Iſaacus Nevvtonus*, cuius epiſtolam a me ſupra enunc'atam h'c referre haud ſupervacaneum arbitror. Ea igitur ita habet:

V. Cl. D. Guidoni Grando

Iſaacus Nevvton ſalutem.

Accepi librum D. Viviani de locis ſolidis, ut & libros tuos, in quibus geometrice demonſtras problemata Viviani, & Hugenii; & pro tanto munere gratias ago quamplurimas. Geometriam Veterum adhuc florere, & tuis eximiis inventis, ac demonſtrationibus auctam eſſe, valde gaudeo. Hieme praeterita librum de rebus opticis, & origine colorum, olim ſcriptum, in lucem edidi, cuius exemplar ad Te mitto. Anglice ſcriptus eſt, at ſub finem invenies libellum unum, & alterum, de rebus Mathematicis idiomate Latino, quorum gratia totum mitto. Vtinam tanto Iudici non diſpliceant. Vale.

Verum non modo a privatis hominibus, ſed & a Principibus ipſis, ut dixi, maximo in pretio habebatur *Grandius*. Hinc eſt quod *Coſmas III.* Magnus Etruriae Dux, & *Ioannes Gaſto* filius, illius doctrinam magni fecerunt, ut patet ex literis Cardinalis S. *Priſcillae*, Abbatis quo titulum in Florentina Provincia ille adſequeretur. ab iis ſcriptis. *Benedictus* etiam *XIV.* Pont. Max. benivolentiae erga *Grandium* ſuae argumenta, data ad illum epiſtola, in propatulo collocavit. An-

no

no MDCCXLI. ſui Pontificatus I. Clariores inſuper Europae Academiae inter ſe certabant, ut in ſui Faſtis tanti viri nomen adſcriberetur. Et profecto praeter ſummam doctrinarum peritiam, humaniores etiam literas ſumma animi ſolicitudine excoluit, & Latinam praeſertim, Italamque Poeſim, ut iam obſervabamus. Inter alia in Tuſcos verſus quoddam carmen *Philippi Parutae* Siculi, tranſtuliſſe, & id Ravennae in Monaſterio Claſſis adſervari, dicitur. Eius opera ſunt, quae ſequuntur,

Geometrica Demonſtratio Vivianeorum Problematum, quae in Exercitatione Geometrica Etruſco idiomate anno 1692. *cum ſolis determinatione prodierant, circa formationem, ac dimenſionem cuiusvis regularis Architectorum Fornicis, exactumque Tetragoniſmum infinitarum partium curvae ſuperficiei, tum Sphaericae novi admirandi Fornicis veliformis Florentini, tum Cylindricae antiqui ſcaphiformis Romani; cum Latina omnium verſione Italico textui adiuncta, variis Notis, & Scholiis locupletata: addita etiam Appendice de Geometrica Quadratura infinitarum partium curvae ſupeficiei Conicae, variorumque Fornicum ex iis compoſitorum, auctore D. Guidone Grando &c. Regiae Celſitudini M. E. D. Coſmi III. Florentiae* 1699. *Ex Typographia Iacobi de Guiduccis prope Conductum. in* 4.

Geometrica Demonſtratio Theorematum Hugenianorum circa Logiſticam, ſeu Logarithmicam lineam, qua occaſione plures Geometricae Methodi exhibentur circa Tangentes, Quadraturas,

ſas, Centra gravitatis, Solida &c. variarum curvarum, uti infinitarum Parabolarum, Hyperbolarum, Spiralium &c. al aeque Geometricae veritates Illuſtrantur. Addita Epiſtola Geometrica ad Patrem Thomam Cevam S. I. auctore D. Guidone Grando &c. Ad Sereniſſimum Ferdinandum III. Magnum Etruriae Principem. Florentiae 1701. Typis Regiae Celſitudinis, apud Petrum Antonium Brigonci. in 4.

D. *Guidonis Grandi &c. Quadratura Circuli, & Hyperbolae per infinitas Hyperbolas, & Parabolas Geometrice exhibita. Addita Demonſtratione dimenſionis Hyperbolae per Tractoriam; & de ſpatiorum variorum menſura, & Calculo Differentiali &c. Ad Sereniſſimum Principem Iohannem Gaſtonem ab Etruria. Piſis 1703. apud Franciſcum Bindi. in 8.*

Seiani, & Rufini Dialogus de Laderchiana Hiſtoria S. Petri Damiani. Pariſiis 1705. apud Bartholomaeum Didier. in 4.

Diſſertationes Camaldulenſes, in quibus agitur I. *de Inſtitutione Ordinis Camaldulenſis.* II. *de Aetate S. P. Romualdi.* III. *de Viſione ſcalae, & habitus mutatione praetenſa.* IV. *de S. Petri Damiani, & Avellanitarum Inſtituto Camaldulenſi. Obiter etiam multa Eccleſiaſticae, & profanae Hiſtoriae loca illuſtrantur, & corriguntur. Auctore D. Guidone Grando &c. Ad Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Principem Ferdinandum de Abdua S. R. E. Cardinalem &c. Lucae 1707. Typis Mareſcandoli, in 4. mai.*

Dis-

Disquiſitio Geometrica in Syſtema Sonorum D. Narciſſi Archiepiſcopi Armacani.

De infinitis infinitorum, & infinite parvorum, Ordinibus Disquiſitio Geometrica, in qua variis utriuſque generis gradibus demonſtratis, tum methodi infiniteſimalis fundamenta oſtenduntur, tum praecipue plusquam infinita ſpatia hyperbolica Vallisii adverſus nuperrimos eorundem Impugnatores vindicantur. Auctore &c. Piſis 1710. *Ex Typographia Franciſci Bindi, in* 4.

Quadratura Circuli & Hyperbolae per infinitas Parabolas quadrabiles Geometrice exhibita, & demonſtrata. Editio altera auctior, & accuratior, in qua praeter alia multa, ad veterem Appendicem de rectificatione Curvarum altera acceſſit de earumdem, & curvilineorum ſpatiorum transformatione infinitis modis expedienda. Auctore &c. Piſis 1710. *Ex Typographia Franciſci Bindi. in* 4.

Conſiderazioni del P. D. Guidone Grandi, *e del Signor NN. ſopra la Scrittura del Signor Luc' Antonio Porzio circa il moto de' gravi per il piano inclinato, dedicate al Signor Luigi Anavaſcali da F. M. Roma* 1710. *in* 12.

Cl. V. D. *Guidonis Grandi Camaldulenſis Regiae Celſitudinis M. D. Etruriae Theologi, & Mathematici, in Piſana Univerſitate Publ. Phil. Profeſſoris, & Regiae Societatis Sodalis, Epiſtola Mathematica de momento Gravium in planis inclinatis, deque directione Fulcri in Mechanicis attendenda. Ex Autographo iterum edidit, novis Adnotationibus illuſtravit, & adverſus Tambuccianam Epiſtolam opportunis Vin-*

Vindiciis munivit Marius de Caeniga Auctoris Diſcipulus. Lucae 1711. Typis Peregrini Frediani. in 4.

Antilunario, in cui con dugento Note Sacre, Aſtronomiche, e Varie, ſi ſcuoprono e ſi emendano alcuni sbagli occorſi nel Lunario ſtampato in Lucca queſt' anno 1711. ſotto nome del Canonico Pier-Leonardo Ricci da Empoli. Opera di Niccolò Ripardieri Cherico della Pieve di Montopoli, aggiuntavi nel fine una Tavola corretta del levar del Sole, Mezzo giorno, e Mezza notte, calcolata diligentemente all' elevazione di gradi 43. di Polo, più comune per la Toſcana. Al merito impareggiabile dell' Illuſtriſſimo Signor Antonio Maglıabechi Bibliotecario dell' A. R. di Coſimo III. Granduca di Toſcana. Dublino 1711. appreſſo Zaccaria Conzati. in 4.

Marius de Caeniga, Hieronymo Tambuccio S.

Eſtratto di una Lettera ſcritta dal P. D. Guido Grandi (al Signor Ermanno) *in riſpoſta a quella del Signor Varignon* (ſcritta allo ſteſſo Ermanno) *inſerita nel Giornale di Venezia Tomo VI.*

Dialoghi del P. M. Grandi Camaldoleſe Teologo ec. circa la Controverſia eccitatagli contro dal Signor Dottor Aleſſandro Marchetti. In Lucca 1712. ad iſtanza di Franceſco Gaddi Libraio in Piſa, in 4.

Riſpoſta Apologetica *del R. M. D. Guido Grandi Camaldoleſe, Teologo, e Matematico dell' A. R. di Toſcana, e Profeſſore ordinario di Filoſofia nello ſtudio di Piſa, all' oppoſizioni fatte-*

tegli dal Signor Dottor A. M. (Aleſſandro Marchetti) *nella ſua dotta Lettera diretta all' Eccellenza del Signor B. T.* (Bernardo Treviſano) . *Si difendono con tal occaſione il Galileo, ed il Viviani, e s' illuſtrano molte dottrine circa la reſiſtenza de' corpi duri, e circa la forza dell' infinito. In Lucca* 1712. *Per Pellegrino Frediani* . in 4.

Proſtaſis ad Exceptiones Cl. Varignonii libro de infinitis infinitorum Ordinibus oppoſitas circa magnitudinum plusquam infinitarum Valliſii defenſionem, & angul. contactus cùm infinitè parvo ad centrum oſculantis circuli conſtituto ; comparationem. Auctore &c. Piſis, ex Typographia Franciſci Bindi 1713. in 4.

Soluzione di due Problemi Meccanici, propoſti a' Matematici d' Italia .

Riſleſſioni ſopra la Controverſia vertente fra gl' Illuſtriſſimi Signori Marcheſi Riccardi, e Niccolini, circa l' alzamento d' una Peſcaia nel fiume Era. Piſa 1714. *Per Franceſco Bindi* ; in fogl.

Nuove Conſiderazioni fatte dopo l' acceſſo del meſe di Giugno dell' anno 1714. *ſopra la controverſia vertente fra gli Illuſtriſſimi Signori Marcheſi Riccardi, e Niccolini, circa l' erezione d' una Peſcaia nell' Era, ad uſo d' un nuovo Mulino. Agli Illuſtriſſimi Signori Giudici della Cauſa. Firenze* 1714. *Per Michele Neſtenus ec.* in fogl.

Eſame della Scrittura pubblicata dal Signor Dottor Giminiano Rondelli, nella famoſa Cauſa del Mulino dell' Era; all' Illuſtriſſimo ec. Marcheſe Franceſco Riccardi Maggiordomo Mag-

gio-

Franceſe (del Signor Euſtachio Manfredi) ed accreſciuta di trenta Note per riſchiaramento della materia.

Florum Geometricorum Manipulus R. S. exhibitus.

Lettera Geometrica al Signor Tommaſo Narducci.

Q. Lucii Alphaei Diacriſis in ſecundam editionem Philoſophiae Novantiquae R. P. Thomae Caevae cum Notis Iani Valerii Panſii. Auguſtoduni 1724. *Sumptibus Piorum. in* 4.

Epiſtola de Pandectis ad Cl. V. Ioſephum Averanium. Piſis 1729. *apud - - - - - - - - - in* 4.

D. Guidonis Grandi in Piſana Academia Matheſeos Profeſſoris, & S. Michaelis in Burgo Abbatis Epiſtola de Pandectis ad V. Cl. Ioſephum Averanium in eadem Academia Iuris Interpretem celeberrimum; editio altera cum Notis variis, & Appendice veterum monumentorum ab Authore locupletata, Florentiae 1727. *Typis R. C. apud Tartinium, & Franchium. in* 4.

Eſame del progetto del nuovo Mulino propoſta nell' Albereta dell' Anconella, del Reverendiſſimo P. D Guido Grandi ec. Per il venerabile Spedale di S. Maria Nuova, ed altri intereſſati nel piano di Ripoli. In Firenze 1727. *Per Pietro Matini. in fogl.*

Scrittura del Reverendiſſimo P. Abate D. Guido Grandi ec. diretta agli Illuſtriſſimi Auditori di Ruota della Sereniſſima Repubblica di Lucca ſopra la Controverſia dell' Acque vertente tra la Menſa Arciveſcovale di Lucca, e li nobili Signori Buonviſi, ed Orſetti da una parte; e il nobile Signor Lelio Guinigi dall' altra. In Lucca

ca 1728. per Leonardo Venturini. in fogl.

Flores Geometrici ex Rhodonearum, & Cloeliarum Curvarum deſcriptione reſultantes, quos una cum novi expeditiſſimi Meſolabii auctario Illuſtriſs. atque Excellentiſs. D. D. Claeliae Grillo-Borromaeae Comitiſſae Clariſſimae, & Doctiſſimae in obſequii ſui, ac venerationis argumentum D. D. D. D. Guido Grandus Abbas S. Michaelis in Burgo Piſarum, & in Piſana Academia Publ. Matheſeos Profeſſor. Florentiae 1728. Typis R. C. in 4.

D. Guidonis Grandi Sac. Theolog. Doct. Cremonenſis, Abbatis S. Michaelis in Burgo Piſarum, & in eiuſdem Urbis Academia publ. Matheſeos Profeſſoris Vindiciae pro ſua Epiſtola de Pandectis Florentiae ſecundo edita, cum Notis &c. adverſus inanes querelas & oppugnationes Bernardi Tanuccii I. V. D. Stienſis, in eadem Academia Caeſarei Iuris Interpretis, in eius libello non ita pridem Lucae impreſſo expoſitas. Piſis 1728. Typis Io. Dominici Carotti. in 4.

I Fiori Geometrici del P. Abate Grandi tradotti in Toſcano dal Signor Tommaſo Narducci Patrizio Luccheſe, coll' aggiunta d' alcune dimoſtrazioni dell' iſteſſo Autore. Lucca 1729. preſſo Franceſco Mareſcandoli a Pozzotorelli. in 4.

Diomedis Bravae Patritii Tranenſis Diſquiſitio Critica de Interpolatione Gratiani. Bononiae 1690. Apud Heredes Bonaccii. in 4.

Nuova Diſamina della Storia delle Pandette Piſane, e di chi prima le rammentaſſe; come ancora d' altre incidenti queſtioni, collo ſcioglimento delle diſſicoltà oppoſte all' Epiſtola de

MDCCXXXV. Ordinis Camaldulenſis Exgeneralis a *Clemente XII.* Pont. Max. renunciatus legalem continnavit diſſertationem, pro decreto quodam in Comitiis ſui Ordinis facto, de mutatione coloris pilei, ex albo in nigrum, contra Abb. *Galamini* ſententiam. Hoc munus ſibi impoſitum libentiſſime ſubſcepit, quia adverſarius ſibi antiquus acerrimuſque, & *Cannetii* maxima cum *Grandio* familiaritate coniuncti antagoniſtes, ille fuerat. Poſtea Fratris *Ambroſii Traverſarii* Epiſtolas a *Cannetio* collectas recenſuit, ac praefationem elogiumque Auctoris praemiſit; quae modo ſub praelo ſudant nonnullis *Ioannis Lamii*, aliorumque, Animadverſionibus locupletatae. Anno MDCCXXXVI. aliam ſuam de aquis diſceptationem edidit quatuor ante annis exaratam, in controverſia, quae inter Equeſtrem *D. Stephani* Ordinem, & Commune Sinalongae, oppidi in valle Clanis ſiti, verſabatur. Ad damna igitur, quibus, exundante fluminis Foenna, Commune illud adficiebatur, cognoſcenda ſe contulit, ſuumque conſilium ſapienter laudateque propoſuit. A. MDCCXXXVII. a *Bernardino Geſſario* rogatus ſuum *De Sectionibus Conicis* Compendium in Latinum ſermonem transferens recenſuit, auxit, perfecit. Quod quidem eius extremum opus quodammodo dici poteſt, vix enim aliud opus deinceps adgreſſus eſt, quum viribus langueſcentibus, mentiſque acie prae capitis ſtupore obtuſa, ac memoria ſenſim evaneſcente, a ſtudiorum contentione ceſſare cogeretur. Adeo vero morbus crevit, ut vix amicorum nominum ei in mentem veniret: rerum tamen cognitionem ſervabat, quamquam

ver-

verba aliquando ad mentis conceptus exprimendos deficerent. Numquam tamen omnino a commentando, morbum & ipſum fallens, deſtitit. Lexici ope, epiſtolam D. *Ponti* Monacho Camaldulenſi ſcripſit, nonnullaſque in Vitam S. *Bononii* Animadverſiones adiecit. Suſcepit etiam in tam infelici ſua valetudine ſui Mathematici Curſus editionem. At *Euclidis* Elementa brevius demonſtrata, & exilem de Arithmetica tractatum, tantum prodere potuit; quibus ſuas addidit praecipuas quaſdam Geometricas meditationes; ex quibus qualiter in aegro corpore mens ſe haberet, inferri poteſt. Inter haec cuſum illi eſt, opera *Antonii Franciſci Gorii* antiquarum rerum ſtudioſi, numiſma. Ad totum uſque annum MDCCXXXIX. domi praelectiones tradidit, donec in dies paulatim deficientibus viribus a tradenda Algebra deſiſtere coactus fuit. Toto igitur anno MDCCXXXXI. tamquam ſtupidus vixit; & quamvis credendum non eſt, tantum ei cognitionis non ſuperfuiſſe, ut ſuam infelicitatem intelligeret, nihilominus nulla de hoc eius audita querela fuit, duoſque ferme annos tam miſerae vitae taedium pertulit. Inter haec, quum Maximo Pontifici *Benedicto XIV.* per literas Venetum iuvenem *Coſtadonium* commendaſſet, ab eodem reſponſum officii ac benivolentiae plenum accepit. Ineunte Maio Anni MDCCXXXXII. in extremum incidit languorem, nihilo tamen minus ſacrum quotidie fecit, diviniſque caeremoniis una cum reliquis Monachis adfuit. Die vero XXVI. Iunii defectus prorſus viribus in cubiculum a domeſticis ducitur, ubi profundo lethargo merſus, fortitudine tamen Philo-

Ioſepho ac Chriſtiano homine digna, pridie Nonas Iulias, viceſima tertia circiter diei hora, e vita exceſſit, annos natus LXXII. Geminis elapſi diebus, cadaver in Coenobii templo, ſordidatis tapetibus, lugubribuſque veſtibus, atrato, expoſitum fuit; & *Euſebius* Piſanus Patricius, patriaeque Eccleſiae Canonicus, publicuſque illius Athenei Profeſſor, ſacrificio oblato parentans ſuprema iuſta rite perſolvit. Interim a P. *Maffeio* Piſano, ex Canonicorum Regularium familia, habita eſt in eius laudem oratio concinna & elegans; quibus abſolutis cadaver in monumento, hac ipſa de cauſſa a grata P. *Auguſtini Forzonii Accoltii* erga Praeceptorem pietate excitato, conditum eſt. Hoc adpoſitum epitaphium fuit;

D. Guidoni Grandio Cremonenſi
Camaldul. Ordinis Exgenerali
Annos XX. Monaſterii huius Abbati
In Piſano Lyceo primum Philoſophiae
Deinde Matheſeos Profeſſori celeberrimo
Geometrae nulli ſecundo
Editis ingenii praeclaris monimentis clariſſimo
Theologo ſummo Pontificii & Caeſarei Iuris
Hiſtoriae cum ſacrae tum profanae peritiſſimo
Quod templum hoc praetioſa ſupellectile
Monaſterium aedificiis Bibliotheca
Reditibuſque eidem attributis locupletarit
D. Auguſtinus Fortunius Forzonius-Accoltius
Monachus
Eidem Bibliothecae Praefectus
Viro de univerſo Ordine de litteraria
Republica
De ſe optime merito

Pe-

Perenne grati animi monumentum
Obiit IV. Nonas Iulii MDCCXLII.
Aetatis ſuae anno LXXII.

Membris compactis ac craſſioribus, fortique ac robuſto naturae temperamento fuit; adeo ut, laboris, & vigiliae, patientiſſimus, uno tantum cocolatae poculo ſumto, integros dies interdum meditando tranſigeret. Nemo mores eius integros, probatamque vivendi rationem culpae, ut ipſemet ait, & ab urbanitate & honeſtate umquam alienam, dicere eſt auſus. Animum fuci neſcium, erga omnes benevolum, ſervavit ſemper; ſincerae veritatis indagator, aſſentantium artes non didicit, technas odit. Amicitiam ſervavit conſtanter, ni maligne ab altero rumperetur. Quamquam ille a Mathematicis plurimum adliceretur ſtudiis, nihilo tamen minus doctrinas reliquas mira felicitate comprehendit. Ad haec Theologia, Iuriſprudentia, ſacra & profana Hiſtoria, Res Diplomatica, atque Antiquaria, quae omnia eximie praecallebat, accedunt. Nec tamen, ut ridiculi quidam noſtri aevi Eruditi, Latinam, Tuſcanicamque Poeſim abhorruit, ut plura eius elegantia carmina typis mandata teſtantur. Quin & extemporalia carmina fundere incredibili facilitate conſuevit. Nihil denique, quod ab humana mente percipi poſſit, virum doctiſſimum latuit. In parvis etiam momenti quaeſtionibus, ut veritatem adſequeretur, nulli parcebat labori. Hinc, quum acerrima a *Soldanio* controverſia agitaretur, in tantum *Grandio* diligentia cordi fuit, ut, quum in Bibliotheca Riccardiana D. *Ioan-*

nis Gualberti Vitam MS. adſervari intellexiſſet, ad eam recognoſcendam ſe ſtatim contulerit; qua occaſione MS. Fr. *Ambroſii* Camaldulenſis Codicem autographum, qui *Laertii* verſionem Latinam continet, vidit, evolvit, comprobavit. Ab ipſis Regibus magnis praemiis propoſitis ad ſe pluries invitatus fuit; & a *Victorio Amadeo* Sardiniae Rege praeſertim, & a Venetis; ut in Taurinenſi & Patavino Atheneis Geometriam profiteretur; ut reliquos ſilentio praeteream. Inſtructiſſimam moriens Monachis Bibliothecam, argenteorum ſcutatorum MMDCC. ſumma dotatam, reliquit, eique laudatum *Auguſtinum Forzonium* praefecit. Coenobii res locupletavit, amplificavitque, magnifica in Monachorum uſum villa exſtructa. Ex florentiſſimo denique eius auditorio, tamquam ex equo Troiano, doctiſſimi evaſerunt viri, inter quos *Thomas Perellius*, qui mira ingenii ſagacitate, ac multiplici doctrina praeditus, Piſis Aſtronomiam multa cum laude profitetur. Memorandi quoque ſunt P. *Claudius Fromondus*, eius non tam auditor, quam ſymmyſtes; & Eques *Carolus Cerbinius*; quorum primus Philoſophiae in eadem Academia Profeſſor, naturalium rerum perſcrutator incomparabilis, ob egregiam morum integritatem cum doctrina coniunctam, exiſtimationem apud omnes meret; alter vero *Grandii* & auditor & conſiliorum particeps fuit, ſub quo adeo in diſciplinis progreſſus eſt, ut ingenii perſpicientiam & alacritatem admirabilem cum ſedula ac profunda Geometricarum rerum, aliarumque doctrinarum contemplatione coniungeret. Nec praetereundus *Io. Lamius*, qui propius tanti ducis

ve-

veſtigia inſiſtens nomen ſuum, immenſis pro literaria Rep. laboribus exantlatis, temporis edacitati ſubduxit. Amicos vero habuit quamplurimos, cum quibus ab iuventute literarium commercium ſervavit. Inter hos commemorandi ſunt primum, qui de Mathematica per literas plurimum diſſeruerunt, *Franc.* ſcilicet *Blanchinius*, *Thom. Ceva*, *Antonius Contius*, *Thomas Deram*, Comes d' Frbeſteim, *Iacobus Hermannus*, Comes *Iulius Fagnanius*, *Coeleſtinus Gallianus*, *David Gregorius*, qui ſub *Grandii* oculos, literis datis XXVI. Aprilis An. MDCCIV. ſuum opus Mathematicum, quod recenſeret, poſuit, his ad eum verbis ſcribens: *De quo accuratiſſimi tui iudicii cenſuram libenter exſpecto, quum eo acumine libri tui expoliti, eo candore literae ſint perfuſae, ut te iudicem perſpicacem ſimul, & perhumanum facile ſpondeant*. Alii amici huiuſmodi fuerunt, *Iohannes Inglis*, *Goth. Leibnitius*, *Laurentius Laurentinius*, *Euſtachius* & *Gabriel*, *Manfredii*, *Iacobus Philippus Maraldus*, *Ioannes Iacobus Marinonius*, *Thomas Narduccius*, Marchio *Ioannes Polenius*, qui *Grandio* Epiſtolas duas ſcripſit, in quarum prima nonnulla *De Telluris forma*, in altera quaedam *De cauſa motus Muſculorum* proponuntur; *Victorius Franc. Stancarius*, *Chriſtianus Wolphius*. Inter eos vero, qui de diverſi doctrinis egerunt, hi recenſendi ſunt: *Franciſcus Ariſius*, *Anſel. Bandurius*, *Baglivius*, *Laurentius Bellinius*, *Thomas Bonaventurius*, *Benedictus Brixianus*, *Ioannes Baptiſta Caſottus*, *Ioannes Marius Creſcimbenius*, Pater *Stephanotius*, *Iuſtus Fontaninius*, Canonicus *Gagliardius*, *Lanciſius*, Marchio *Scipio Maffeius*, Comes *Laur. Magalottius*, *Antonius Magliabechius*, *Edm. Martene*, *Bernard. Montfau*-

ponius, *Ludovicus Antonius Muratorius*, *Marcellus Severolius*, *Henricus Nevvtonus*, & *Iſaacus Nevvtonus*, cuius epiſtolam a me ſupra enunciatam hic referre haud ſupervacaneum arbitror. Ea igitur ita habet:

V. Cl. D. Guidoni Grando

Iſaacus Nevvton ſalutem.

Accepi librum D. Viviani de locis ſolidis, ut & libros tuos, in quibus geometrice demonſtras problemata Viviani, & Hugenii; & pro tanto munere gratias ago quamplurimas. Geometriam Veterum adhuc florere, & tuis eximiis inventis, ac demonſtrationibus auctam eſſe, valde gaudeo. Hieme praeterita librum de rebus opticis, & origine colorum, olim ſcriptum, in lucem edidi, cuius exemplar ad Te mitto. Anglice ſcriptus eſt, at ſub finem invenies libellum unum, & alterum, de rebus Mathematicis idiomate Latino, quorum gratia totum mitto. Vtinam tanto Iudici non diſpliceant. Vale.

Verum non modo a privatis hominibus, ſed & a Principibus ipſis, ut dixi, maximo in pretio habebatur *Grandius*. Hinc eſt quod *Coſmas III.* Magnus Etruriae Dux, & *Ioannes Gaſto* filius, illius doctrinam magni fecerunt, ut patet ex literis Cardinalis S. *Priſcillae*, Abbatis quo titulum in Florentina Provincia ille adſequeretur ab iis ſcriptis. *Benedictus* etiam *XIV.* Pont. Max. benivolentiae erga *Grandium* ſuae argumenta, data ad illum epiſtola, in propatulo collocavit. An-

no

no MDCCXLI. ſui Pontificatus I. Clariores inſuper Europae Academiae inter ſe certabant, ut in ſui Faſtis tanti viri nomen adſcriberetur. Et profecto praeter ſummam doctrinarum peritiam, humaniores etiam literas ſumma animi ſolicitudine excoluit, & Latinam praeſertim, Italamque Poeſim, ut iam obſervabamus. Inter alia in Tuſcos verſus quoddam carmen *Philippi Parutae* Siculi, tranſtuliſſe, & id Ravennae in Monaſterio Claſſis adſervari, dicitur. Eius opera ſunt, quae ſequuntur,

Geometrica Demonſtratio Vivianeorum Problematum, quae in Exercitatione Geometrica Etruſco idiomate anno 1692. *cum ſola determinatione prodierant, circa formationem, ac dimenſionem cuiusvis regularis Architectorum Fornicis, exactumque Tetragoniſmum infinitarum partium curvae ſuperficiei. tum Sphaericae novi admirandi Fornicis veliformis Florentini, tum Cylindricae antiqui ſcaphiformis Romani; cum Latina omnium verſione Italico textui adiuncta, variis Notis, & Scholiis locupletata: addita etiam Appendice de Geometrica Quadratura infinitarum partium curvae ſupeficiei Conicae, variorumque Fornicum ex iis compoſitorum, auctore D. Guidone Grando &c. Regiae Celſitudini M. E. D. Coſmi III. Florentiae* 1699. *Ex Typographia Iacobi de Guiduccis prope Conductum. in* 4.

Geometrica Demonſtratio Theorematum Hugenianorum circa Logiſticam, ſeu Logarithmicam lineam, qua occaſione plures Geometricae Methodi exhibentur circa Tangentes, Quadraturas,

ſas, Centra gravitatis, Solida &c. variarum curvarum, uti infinitarum Parabolarum, Hyperbolarum, Spiralium &c. ad aeque Geometricae veritates illuſtrantur. Addita Epiſtola Geometrica ad Patrem Thomam Cevam S. I. auctore D. Guidone Grando &c. Ad Sereniſſimum Ferdinandum III. Magnum Etruriae Principem. Florentiae 1701. Typis Regiae Celſitudinis, apud Petrum Antonium Brigonci. in 4.

D. Guidonis Grandi &c. *Quadratura Circuli, & Hyperbolae per infinitas Hyperbolas, & Parabolas Geometrice exhibita. Addita Demonſtratione dimenſionis Hyperbolae per Tractoriam; & de ſpatiorum variorum menſura, & Calculo Differentiali &c. Ad Sereniſſimum Principem Iohannem Gaſtonem ab Etruria. Piſis 1703. apud Franciſcum Bindi. in 8.*

Seiani, & Rufini Dialogus de Laderchiana Hiſtoria S. Petri Damiani. Pariſiis 1705. apud Bartholomaeum Didier. in 4.

Diſſertationes Camaldulenſes, in quibus agitur I. de Inſtitutione Ordinis Camaldulenſis. II. de Aetate S. P. Romualdi. III. de Viſione ſcalae, & habitus mutatione praetenſa. IV. de S. Petri Damiani, & Avellanitarum Inſtituto Camaldulenſi. Obiter etiam multa Eccleſiaſticae, & profanae Hiſtoriae loca illuſtrantur, & corriguntur. Auctore D. Guidone Grando &c. Ad Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Principem Ferdinandum de Abdua S. R. E. Cardinalem &c. Lucae 1707. Typis Mareſcandoli. in 4. mai.

Dis-

Disquiſitio Geometrica in Syſtema Sonorum D. Narciſſi Archiepiſcopi Armacani.

De infinitis infinitorum, & infinite parvorum, Ordinibus Disquiſitio Geometrica, in qua variis utriuſque generis gradibus demonſtratis, tum methodi infiniteſimalis fundamenta oſtenduntur, tum praecipue plusquam infinita ſpatia hyperbolica Vallisii adverſus nuperrimos eorundem Impugnatores vindicantur. Auctore &c. Piſis 1710. *Ex Typographia Franciſci Bindi, in* 4.

Quadratura Circuli & Hyperbolae per infinitas Parabolas quadrabiles Geometrice exhibita, & demonſtrata. Editio altera auctior, & accuratior, in qua praeter alia multa, ad veterem Appendicem de rectificatione Curvarum altera acceſſit de earumdem, & curvilineorum ſpatiorum transformatione infinitis modis expedienda. Auctore &c. Piſis 1710. *Ex Typographia Franciſci Bindi. in* 4.

Conſiderazioni del P. D. Guidone Grandi, e del Signor NN. ſopra la Scrittura del Signor Luc' Antonio Porzio circa il moto de' gravi per il piano inclinato, dedicate alSignor Luigi Anavaſcali da F. M. Roma 1710. *in.* 12.

Cl. V. D. Guidonis Grandi Camaldulenſis Regiae Celſitudinis M. D. Etruriae Theologi, & Mathematici, in Piſana Univerſitate Publ. Phil. Profeſſoris, & Regiae Societatis Sodalis, Epiſtola Mathematica de momento Gravium in planis inclinatis, deque directione Fulcri in Mechanicis attendenda. Ex Autographo iterum edidit, novis Adnotationibus illuſtravit, & adverſus Tambuccianam Epiſtolam opportunis

Vin-

Vindiciis munivit Marius de Caeniga Auctoris Diſcipulus. Lucae 1711. Typis Peregrini Frediani. in 4.

Antilunario, in cui con dugento Note Sacre, Aſtronomiche, e Varie, ſi ſcuoprono e ſi emendano alcuni sbagli occorſi nel Lunario ſtampato in Lucca queſt' anno 1711. ſotto nome del Canonico Pier-Leonardo Ricci da Empoli. Opera di Niccolò Riparleri Cherico della Pieve di Montopoli, aggiuntavi nel fine una Tavola corretta del levar del Sole, Mezzo giorno, e Mezza notte, calcolata diligentemente all' elevazione di gradi 43. di Polo, più comune per la Toſcana. Al merito impareggiabile dell' Illuſtriſſimo Signor Antonio Magliabechi Bibliotecario dell' A. R. di Coſimo III. Granduca di Toſcana. Dublino 1711. appreſſo Zaccaria Conzati. in 4.

Marius de Caeniga Hieronymo Tambuccio S.

Eſtratto di una Lettera ſcritta dal P. D. Guido Grandi (al Signor Ermanno) *in riſpoſta a quella del Signor Varignon* (ſcritta allo ſteſſo Ermanno) *inſerita nel Giornale di Venezia Tomo VI.*

Dialoghi del P. M. Grandi Camaldoleſe Teologo ec. circa la Controverſia eccitatagli contro dal Signor Dottor Aleſſandro Marchetti. In Lucca 1712. ad iſtanza di Franceſco Gaddi Libraio in Piſa, in 4.

Riſpoſta Apologetica del R. M. D. Guido Grandi Camaldoleſe, Teologo, e Matematico dell' A. R. di Toſcana, e Profeſſore ordinario di Filoſofia nello ſtudio di Piſa, all' oppoſizioni fatte-

tegli dal Signor Dottor A. M. (Aleſſandro Marchetti) *nella ſua dotta Lettera diretta all' Eccellenza del Signor B. T.* (Bernardo Treviſano) . *Si difendono con tal occaſione il Galileo, ed il Viviani, e s' illuſtrano molte dottrine circa la reſiſtenza de' corpi duri, e circa la forza dell' infinito. In Lucca* 1712. *Per Pellegrino Frediani*. in 4.

Proſtaſis ad Exceptiones Cl. Varignonii libro de infinitis infinitorum Ordinibus oppoſitas circa magnitudinum plusquam infinitarum Valliſii defenſionem, & anguli contactus cùm infinitè parvo ad centrum oſculantis circuli conſtituto, comparationem. Auctore &c. Piſis, ex Typographia Franciſci Bindi 1713. *in* 4.

Soluzione di due Problemi Meccanici, propoſti a' Matematici d' Italia.

Riſleſſioni ſopra la Controverſia vertente fra gl' Illuſtriſſimi Signori Marcheſi Riccardi, e Niccolini, circa l' alzamento d' una Peſcaia nel fiume Era. Piſa 1714. *Per Franceſco Bindi*. *in fogl.*

Nuove Conſiderazioni fatte dopo l' acceſſo del meſe di Giugno dell' anno 1714. *ſopra la controverſia vertente fra gli Illuſtriſſimi Signori Marcheſi Riccardi, e Niccolini, circa l' erezione d' una Peſcaia nell' Era, ad uſo d' un nuovo Mulino. Agli Illuſtriſſimi Signori Giudici della Cauſa. Firenze* 1714. *Per Michele Neſtenus ec. in fogl.*

Eſame della Scrittura pubblicata dal Signor Dottor Giminiano Rondelli, nella famoſa Cauſa del Mulino dell' Era; all' Illuſtriſſimo ec. Marcheſe Franceſco Riccardi Maggiordomo Maggio-

giore, e Conſigliere di Stato di S. A. R. di Firenze 1715. Per Michele Neſtenus, e Antonio Borghigiani, in fogl.

Relazione (circa il Padule di Fucecchio) del P. M. Grandi Teologo, e Matematico di S. A. R. e Profeſſore pubblico di Matematica nell' Vniverſità di Piſa. All' Illuſtriſſimo Signor Marcheſe Franceſco Feroni. In Lucca Per Leonardo Venturini 1715. in fogl.

Due Sonetti, e una Canzone di Dubeno Erimanzio. (nome portato dal Padre Grandi nell' Arcadia di Roma).

Relazione ſeconda del Reverendiſſimo P. Abate Grandi ec. ſopra gli affari di Bellaviſta, e i lavori propoſti nel Lago di Fucecchio. All' Illuſtriſſimo Signor Marcheſe Franceſco Ferroni Gentiluomo di Camera di S. A. R. Lucca 1718. Per Leonardo Venturini in fogl.

Relazione delle operazioni fatte circa il Padule di Fucecchio ad iſtanza degl' Intereſſati; e rifleſſioni circa le medeſime, del Reverendiſſimo P. Abate Grandi Teologo, e Matematico di S. A. R. ec. Agl' Illuſtriſſimi Signori Giudici delegati ſopra il medeſimo Padule. In Lucca per Leonardo Venturini 1718. in fogl.

Trattato delle reſiſtenze, principiato da Vincenzio Viviani per illuſtrare l' Opere del Galileo, ed ora compito, e riordinato colla giunta di quelle dimoſtrazioni che vi mancavano, dal Padre D. Guido Grandi Abate Camaldoleſe, Matematico di S. A. R. e dello Studio Piſano. In Firenze 1718. in 4.

Propoſizioni appartenenti al movimento de' Corpi ſolidi nei mezzi fluidi.

No-

Note al Trattato del Galileo del moto naturale accelerato, del P. Abate D. Guido Grandi Matematico di S. A. R. e dello Studio Piſano.

Lectorum clauſtralium Camaldulenſium authoritate Reverendiſſimi Definitorii in deſignatis Monaſteriis conſtitutorum ius ferendi ſuffragii in Capitulis generalibus ſui Ordinis excluſive quoad publicos Profeſſores ſaecularium Univerſitatum ſola Principum authoritate delectos, aſſertum & demonſtratum per Tiberium Vedmannum I. C. adverſus Diſſertationem, qua ſimile ius ſibi deberi praetendit D. Iuſtus Venturinus Theologiae Moralis in Florentino Studio Profeſſor. Ad Reverendiſſimos PP. Generalem, & Viſitatores Camaldulenſes, in fol.

Compendio delle Sezioni Coniche d' Apollonio, con aggiunta di nuove proprietà delle medeſime Sezioni, compilato dal P. Abate D. Guido Grandi Teologo, e Matematico di S. A. R. e dello Studio Piſano. In Firenze nella Stamperia di S. A. R. per gli Tartini e Franchi 1722. in 12. piccolo.

Trattato d' Archimede de' Solidi natanti nel fluido tradotto in volgare, e con nuovi Lemmi più chiaramente dimoſtrato, dal P. Abate Grandi, circa l' ultime Propoſizioni del libro ſecondo, appartenente alle Conoidi Paraboliche.

Del movimento dell' Acque, Trattato Geometrico del P. Abate D. Guido Grandi ec. in 4.

Informazione agli Ufficiali dell' Ufficio de' Foſſi di Piſa, circa una nuova terminazione propoſta all' Era.

Memoria, che contiene le ragioni per l' unione del Reno di Bologna col Fiume Pò, tradotta dal Fran-

Franceſe (del Signor Euſtachio Manfredi) *ed accreſciuta di trenta Note per riſchiaramento della materia.*

Florum Geometricorum Manipulus R. S. exhibitus.

Lettera Geometrica al Signor Tommaſo Narducci.

Q. Lucii Alphaei Diacriſis in ſecundam editionem Philoſophiae Neutoniquae R. P. Thomae Caevae cum Notis Iani Valerii Pauſii. Auguſtoduni 1724. *Sumptibus Piorum. in* 4.

Epiſtola de Pandectis ad Cl. V. Ioſephum Averanium. Piſis 1729. *apud - - - - - - - - in* 4.

D. Guidonis Grandi in Piſana Academia Matheſeos Profeſſoris, & S. Michaelis in Burgo Abbatis Epiſtola de Pandectis ad V. Cl. Ioſephum Averanium in eadem Academia Iuris Interpretem celeberrimum; editio altera cum Notis variis, & Appendice veterum monumentorum ab Authore locupletata, Florentiae 1727. *Typis R. C. apud Tartinium, & Franchium. in* 4.

Eſame del progetto del nuovo Mulino propoſta nell' Albereta *dell'* Anconella, *del Reverendiſſimo P. D Guido Grandi ec. Per il venerabile Spedale di S. Maria Nuova, ed altri intereſſati nel piano di Ripoli. In Firenze* 1727. Per Pietro Matini. *in fogl.*

Scrittura del Reverendiſſimo P. Abate *D. Guido Grandi ec. diretta agli Illuſtriſſimi* Auditori *di Ruota della Sereniſſima Repubblica di Lucca ſopra la Controverſia dell'* Acque *vertente tra la Menſa* Arciveſcovale *di Lucca, e li nobili Signori Buonviſi, ed Orſetti da una parte; e il nobile Signor Lelio Guinigi dall' altra. In Lucca*

ca 1728. per Leonardo Venturini. in fogl.

Flores Geometrici ex Rhodonearum, & Cloeliarum Curvarum deſcriptione reſultantes, quos una cum novi expeditiſſimi Meſolabii auctario Illuſtriſs. atque Excellentiſs. D. D. Claeliae Grillo-Borromaeae Comitiſſae Clariſſimae, & Doctiſſimae in obſequii ſui, ac venerationis argumentum D. D. D. D. Guido Grandus Abbas S. Michaelis in Burgo Piſarum, & in Piſana Academia Publ. Matheſeos Profeſſor. Florentiae 1728. Typis R. C. in 4.

D. Guidonis Grandi Sac. Theolog. Doct. Cremonenſis, Abbatis S. Michaelis in Burgo Piſarum, & in eiuſdem Vrbis Academia publ. Matheſeos Profeſſoris Vindiciae pro ſua Epiſtola de Pandectis Florentiae ſecundo edita, cum Notis &c. adverſus inanes querelas & oppugnationes Bernardi Tanuccii I. V. D. Stienſis, in eadem Academia Caeſarei Iuris Interpretis, in eius libello non ita pridem Lucae impreſſo expoſitas. Piſis 1728. Typis Io. Dominici Carotti. in 4.

I Fiori Geometrici del P. Abate Grandi tradotti in Toſcano dal Signor Tommaſo Narducci Patrizio Lucchese, coll' aggiunta d' alcune dimoſtrazioni dell' iſteſſo Autore. Lucca 1729. preſſo Franceſco Mareſcandoli a Pozzotorelli. in 4.

Diomedis Bravae Patritii Tranenſis Diſquiſitio Critica de Interpolatione Gratiani. Bononiae 1690. Apud Heredes Bonaccii. in 4.

Nuova Diſamina della Storia delle Pandette Piſane, e di chi prima le rammentaſſe; come ancora d' altre incidenti queſtioni, collo ſcioglimento delle difficoltà oppoſte all' Epiſtola de

Pandectis, *ed alle Vindicie del Reverendiſſimo Padre Abate Grandi, da Bernardo Tanucci Dottore da Stia. Opera di Bartolo Luccaberti diviſa in quattro parti. In Faenza nella Stamperia dell' Archi, 1730. in 4.*

Breve Compendio della Vita, Morte, e Miracoli di S. Pietro Orſeolo Doge di Venezia, indi Monaco, ed Eremita ſantiſſimo. In Venezia 1731. in 8.

Riſpoſta del P. D. Vitale Marzi da Faenza Monaco Camaldoleſe alle Queſtioni Vallombroſane del P. M. D. Fedele Soldani da Poppi, Monaco Vallombroſano, al Reverendiſſimo P. D. Floriano Maria Amigoni Abate Generale dell' Ordine Camaldoleſe. In Faenza nella Samperia dell' Archi 1732. in 4.

Lettere Apologetiche del P. D. Vitale Marzi da Faenza, Monaco Camaldoleſe, in difeſa della ſua Riſpoſta già data alle QQ. Vallombroſane, del P. M. D. Fedele Soldani, Monaco Vallombroſano. In Faenza nella Samperia dell' Archi 1733. in 4.

Lettere del P. Abate Grandi, al Signor Tommaſo Narducci Patrizio Lucchese, circa la miſura delle forze de' corpi in moto.

De Formulis Bon. Mem. Piae Mem. & ſimilibus, ad perſonas viventes aliquando adplicatis, Diſſertatio.

Vita del Glorioſo Principe San Pietro Orſeolo Doge di Venezia, indi Monaco, ed Eremita ſantiſſimo, ſcritta da un Religioſo Camaldoleſe, e conſecrata al Sereniſſimo Carlo Ruzzini Doge di Venezia. Venezia 1733. per Giuſeppe Bettinelli. in 4.

Di-

Diſceptatio Neopilea in defenſionem Decreti Capitularis Monachorum Camaldulenſium circa mutationem coloris Pilei . Piſis anno 1735. ex Typographia Ioannis Dominici Carotti . in fol.

Scrittura in riſpoſta a' Queſiti de' Signori Giudici della Controverſia fra la Comunità di Sinalunga , e l' Illuſtriſſima Religione di San Stefano , circa il rilaſciamento d' alcune acqu ſtagnanti . In Siena 1737. preſſo il Bonetti . in fogl.

Sectionum Conicarum Synopſis , cuius Auctor D. Guido Grandus Cremonenſis &c. Neapoli 1737. Expenſis Bernardini Geſſari , in 8.

Lettera al Signor Senatore Pier-Franceſco Ricci, ſopra il beneficio d' una Specula Aſtronomica in una Univerſità .

Epiſtola ad V. C. P. D. Virginium Valſechium .

Iſtituzioni Maccaniche . Trattato del P. Abate D. Guido Grandi ec. All Illuſtriſſimo e Clariſſimo Signor Senatore Pier Franceſco Ricci Preſidente dell' Illuſtriſſima Sacra e Militare Religione di S. Stefano , Auditore e Moderatore vigilantiſſimo dello Studio Piſano . In Firenze nella Stamperia di S. A. R. 1739. in 8.

Vita S. Bononii Abbatis cum notis .

Elementi Geometrici piani e ſolidi di Euclide , poſti brevemente in volgare dal P. Abate D. Guido Grandi Camaldoleſe , Profeſſore di Matematica nell' Univerſità di Piſa . In Firenze nella ſtamperia di S. A. R. 1740. in 8.

Iſtituzioni di Aritmetica pratica del P. Abate D. Guido Grandi Camaldoleſe ec. In Firenze nella Stamperia di S. A. R. 1740. in 8.

T 2 Epi-

Epiſtola Geometrica ad P. D. Petrum Urſeolum Ponte, Monachum Camaldulenſem,

Inſtituzioni Geometriche del Reverendiſſimo P. Abate D. Guido Grandi ec. In Firenze nella Stamperia di S. A. R. 1741. in 8.

Iſtituzioni delle Sezioni Coniche del P. Abate D. Guido Grandi. In Firenze nella ſtamperia di S. A. R. per Gio. Gaetano Tartini e Santi Franchi 1744.

IACOBVS LANFREDINIVS CARDINALIS

Io. Lamio Auctore.

IAcobus Lanfredinius, *Laurent. Mar. Lanfredinio*, & *Conſtantia Zatia*, *Iacobi* Senatoris filia, nobilibus parentibus, ortus eſt Florentiae A. D. VII. KL. Novembrias, anno a Chriſti Servatoris ortu MDCLXXX. Duodeviginti annos natus Latina, & Tuſcanica, eloquentia praecelluit; & ſub *Carolo Bindio*, viro Theologi inſignibus decorato, Philoſophiae operam navavi; *Andreas* autem a *Sancto Sebaſtiano*, ex Clericis Regularibus Scholarum Piarum, quem ordinem & ſupremus Praeſes moderatus eſt, publicus in Florentino Atheneo Profeſſor, illum Theologiam, quam Scholaſticam vocant, & Dogmaticam, docuit. Graecanicae litteraturae praeceptorem, *Ant. Mar. Salvinium*, virum celebratiſſimum, habuit, qui mihi *Lamio* narrare ſolitus eſt, aliquales progreſſus in Grae-

Graeca eruditione *Lanfredinium* facturum fuiſſe, niſi, ut laborem, & animi contentionem effugeret, in inveſtigandis Graecae ſcriptionis ſenſibus, Interpretum magis, quam Lexicorum, ope abuſus fuiſſet. Hinc merito *Angel. Mar. Riccius*, Graecarum litterarum in patria Academia Profeſſor, primo *Homericarum Diſſertationum* Volumine, inter *Salvinii* auditores eum hiſce verbis recenſet: *Iacobus Cardinalis Lanfredinius, Auximanus Epiſcopus, morum ſanctitate, & legum ſcientia, ſpectatiſſimus*. Nec ego, in ſcribenda *Anton. Mariae Salvinii* Vita, quae primo horum *Memorabilium* Volumine habetur, eum, quum diſcipulos commemorarem, indictum praeterivi. Annus iam MDCIC. vertebat, quum a *Coſma III.* Magno Etruriae Duce, ſacerdotio, quod Canonicatum adpellant, in principe Florentina Eccleſia, auctus eſt. Heinc anno MDCC. Piſas contendit, ut in illuſtri illo Atheneo, in Iuriſprudentiam, & ſacrorum Canonum ſcientiam, incumberet, in quibus quidem doctrinis, *Ioſeph. Averanii*, Iuris Interpretis celeberrimi, auditorium in primis frequentans, multum profecit. Anno MDCCI. locum in Collegio Romano a Capitulo Eccleſiae Florentinae conferendum obtinuit; & in eruditum Coetum, qui a Furfure nomen habet, Florentiae cooptatus, de laudibus *D. Zenobii* Epiſcopi Florentini, & illius Coetus Patroni, anno MDCCII. luculentam habuit orationem. Romam denique profectus eſt, & poſt iuſtam in Collegio Romano moram cauſſarum patrocinium agere coepit, ſub *Vecchio* Patrono cauſſarum praeſtantiſſimo; in quo munere obeundo tan-

tam omnium opinionem collegit, ut Patronorum facile princeps in Romana curia deinde haberetur, quum anno iam MDCCVIII. Canonicatu Florentino ſe abdicaſſet. Hinc non mirum, ſi tamquam Patronus admirandus a *Sigiſmundo Coccapanio* e Clericis Regularibus Scholarum Piarum, in ſuis Epiſtolis anno MDCCX. Romae editis, celebratus eſt: & ſi *Coſmas III.* Magnus Dux ſuum primarium Auditorem, ſeu Iudicem Adſeſſorem, eum, ſi Florentiam redire voluiſſet, ſe renunciaturum recepit. Quamobrem eius doctrina & peritia in difficilioribus negotiis, & in cauſſis graviſſimis, certatim omnes uſi ſunt; hincque ei aditus ad magnas divitias comparandas facile patuit; domuſque ſuae anguſta re iam laborantis caſus aliquatenus reparare primo aetatis flore ſic valuit. Etenim Cardinalis *Annibal Albanius* S. R. E. Quaeſtor eum Auditorem, ut vocant, ſuum elegit; elegit pariter Cardinalis *Nicolaus Acciarolus* ſacri Purpuratorum Collegii Decanus, ampla inſuper in ſuo Epiſcopatu Oſtienſi iuriſdictione conceſſa; elegit & Cardinalis *De Iudice* eiuſdem Collegii pariter Decanus, & tamquam Oſtienſis Epiſcopus Procuratorem ſuum Concilio Romano intereſſe iuſſit. Plures etiam Pontifices Maximi magni eum penderunt. *Clemens XI.* Praeſulis dignitatem, quam ab inſtitutore *Amadoriam* vocant, eum facultate Patronum cauſſarum agendi, ei confirmavit. *Innocentius XIII.* ſui fratris filio, Eccleſiaſticis dignitatibus deſtinato, magiſtrum & moderatorem praepoſuit; Auditorem Quaeſtoris Sanctae Romanae Eccleſiae renunciavit; in Domeſticorum Praeſulum album retulit; & inter Antiſtites Congregationis Conſiſto-

ria-

rialis cooptavit. Quanti vero eum *Benedictus XIII.* fecerit, ex duobus exemplis eluceſcet. Graviſſima Sedis Apoſtolicae cauſſa de cuiusdam in Batavia Epiſcopi auctoritate, agitabatur; diverſaeque in ea regione diſputationes hac de re habebantur, non ſine quadam Pontificiae Cathedrae contumelia. Tamdem a ſacra *Propagandae Fidei* Congregatione ſtatutum eſt, ut cauſſae huius patrocinium Romanorum Antiſtitum doctiſſimo a Pontifice Maximo deferretur; Pontifex autem Maximus audito *Lanfredinii* nomine, ſtatim ei negotium graviſſimum, implicatiſſimamque cauſam, commiſit. Is autem, quum negotium ſedulo conſideraſſet, examinateque ac mature perpendiſſet, tanta rationum vi, tanta doctrinae copia, tanto eruditionis adparatu, adverſarios obpugnavit, retudit, vicit, ut, vix *Lanfredinii* reſponſum Sacrae Congregationi, & Pontifici Maximo, exhibitum eſt, magna quoque cauſſa, & lis difficillima, deciſa fuerit. Heinc, quum & alia magni momenti controverſia circa Concilium Romanum exorta eſſet, & vehementi partium ſtudio agitaretur, Pontifex Maximus clam ad ſe *Lanfredinium* arceſſivit, eique tantae rei examen, ac iudicium delegavit. Tunc doctam ac exactam Diſſertationem ille lucubravit, iuxta quam Pontifex cauſſam finivit; ſententiaeque lubenter utraque pars acquievit. *Clementis* autem XII. familiariſſimus fuit, qui eum anno MDCCXXXI. ſacrae Congregationis *Concilii* Secretarium iuſſit, ac mox tituli Sanctae Mariae in Porticu Presbyterum Cardinalem VIIII. KL. Februarias, anno MDCCXXXIV. creavit, eligens eum Auximi & Cin-

 gu-

gul: ſimul Epiſcopum. Alia Romae munia iam obiverat, ſemperque laudabiliter in iis ſe geſſerat: fuit enim *Vtriuſque Signaturae Referendarius*; anno MDCCXXI. *Ponens*, ut vocant, *Congregationis boni guberuii*; anno MDCCXXVIII. *Canouiſta* electus eſt. Fuit *Sigillator & Datarius ſacrae Poenitentiariae*; *Votans Signaturae gratiae*; & anno MDCCXXX. creatus eſt Canonicus S. Petri in Vaticano; quum *Bartholom. Maſſeius* Politianus ad Cardinalatus gradum adſcendiſſet. Quin & Coenobii D. *Lanfranci* Ticinenſis Abbas *Commendatarius* fuit. Quinquies Synodum Dioeceſanam coegit, & formis deſcriptam publici iuris fecit, Homilias, & Epiſtolas Paſtorales elegantiſſimas, variis temporibus ſcripſit, quae uno Volumine comprehenſae Aeſii formis excuſae ſunt. *Benedictus XIV.* qui nunc feliciter regnat, eum Romam evocavit, & Immunitatis Eccleſiaſticae Praefectum, Viſitatoremque Apoſtolicum Romani Noſocomii Sancti Spiritus, renunciavit. Duas Romae habuit orationes, quae typis vulgatae fuerunt, atque ita inſcriptae ſunt. Vna: *Oratio in funere Innocentii XIII. Pontif. Max. habita in Vaticano Templo ad Sac. Eminentiſs. Cardinalium Collegium a Iacobo Amadorio, olim de Lanfredinis, Romae ex Typographia Vaticana MDCCXXIV. in fol.* Altera: *Oratio ad Sacrum Eminentiſſimorum Cardinalium Collegium Pontificis deligendi cauſa Conclave ingreſſurum die V. Martii MDCCXXX. habita in Templo Vaticano a Iacobo Amadorio, olim de Lanfredinis. Romae MDCCXXX. Ex Typographia Rev. C. A. in fol.* Synodi autem, una cum orationibus ab eo in illis habitis, Ancone publicatae fuerunt.

Quo-

Quocumque gradu ac conditione *Lanfrancinius* exſiſteret, pietati adverſus Deum, & morum ſanctitudini, operam dedit. Quotidie ad Presbyteros Oratorii Romae accedebat. Monachis, & Sacerdotibus virtute, ac pietate conſpicuis familiariſſime utebatur. Cognatos dilexit, quatenus virtus ſanctitasque permiſit; hominibus diſplicere quicquam penſi non habuit, ut Deo placeret. Auſteram vitam tranſigebat; crebras conciones habebat. Quum ab iis, qui Miſſionarii audiunt, ſacrae orationes in plateis & compitis quondam haberentur, in ſuggeſtum ille conſcendit & coram univerſa concione peccata ſua confeſſus eſt; & ut ſibi ignoſceret, enixe populum efflagitavit; tanta in eo animi demiſſio fuit. Gregi ſibi commiſſo perpetuum invigilans quotannis ſuam dioeceſin luſtrabat, & Synodum celebrabat. Numquam in vita caſte pudiceque exigenda varius & inconſtans fuit, licet frequentibus tentationibus, & ad malum illecebris, obpugnaretur. Nimis cautus; & peccandi timidus, omnifariis ſcrupulis eius mens adflictabatur; ita autem virtus, Deo adnuente, perficiebatur. Religionem, pietatem, ſanctimoniam, in ſua dioeceſi, qua verbis, qua exemplis, mirifice promovit. Divinam Euchariſtiam, taedam manu ferens, capite aperto, cunctis tempeſtatibus, diu noctuque, ad infirmorum domos deducebat. Pauperibus certis largam ſtipem quotidie profundebat; integris familiis menſtruum victum adſignaverat; nupturis, ſacroque velo induendis, puellis innumeris dotes copioſas clandeſtine largiebatur. Primis ſui Epiſcopatus menſibus Eccleſiam, & domum, in qua Parochus

chus habitaret, exſtruxit. Denique ſibi avarus, aliis prodigus, fuit. Poſt brevem decem dierum morbum naturae conceſſit A.D. XVII. KL. Iunias an. MDCCXLI. & cum eo *Lanfrediniа* gens maſcula extincta eſt. Teſtamento iuſſit, ut in Eccleſia Presbyterorum Miſſionis in Monte Citorio ſepeliretur. Id quidem factum eſt, poſtquam in Eccleſia Sanctorum *Ioannis*, & *Paulli* iuſta ei, cadavere expoſito, rite & more maiorum ſoluta fuerunt. Haec nova Sacerdotum a Miſſionibus Eccleſia ab ipſo Cardinali *Lanfredinio* a fundamentis excitata fuerat, duodecim millibus aureorum impenſis, quam & heredem ſuam inſtituit. Supra huius Eccleſiae portam intrinſecus Inſignia gentilitia *Lanfrediniorum* extant, atque infra illa Epigramma inſequens legitur.

Iacobo S. Mariae in Porticu
Diacono Card. Lanfredino
Quod
Aedibus iam pridem amplificatis
Templum a fundamentis exſtruxerit
Poſtremo hanc Miſſionis Domum
Heredem ſcripſerit
Congregatio tot beneficiis cumulata
P. C. A. S. MDCCXXXXI.

Miſſionarii igitur illi Miſſam quotidianam perpetuo ſuffragandis eius manibus grato animo deſtinarunt; an Ieſuitae idem fecerint ignoro, quibus ingentem pecuniae vim legavit, ut ſquolibet ſexennio Auximi, & Cinguli, miſſiones agerent. Collegio Propagandae Fidei vaſa argen-
tea

tea domeſtica reliquit; ſacras ac pretioſas veſtes aliis Eccleſiis. Subſtantiae, quam Florentiae poſſidebat, uſumfructum *Mariae Octaviae* ſorori, *Philippi Corbolii* Equitis uxori, legavit; eaque ut Presbyteris Miſſionariis Florentiae poſt eius obitum reſtitueretur, iuſſit. *Pompeius Compagnonius* Maceratenſis, qui Cardinali *Lanfredinio* in Auximano & Cingulenſi Epiſcopatu ſucceſſit, in primario Auximi templo iuſta pariter eius manibus perſolvit: in quibus exſequiis *Iac. Mar. Iudicius* Canonicus & Theologus eiusdem Eccleſiae, & Cardinalis defuncti amiciſſimus, orationem funebrem habuit. Commendatus merito eſt Cardinalis *Lanfredinius* in Ephemeridibus litterariis Venetis, & Florentinis; & ab *Ioſ. Maria Brocchio* V. Cl. inter Florentinos ſanctitate conſpicuos recenſetur in Volumine I. *Vitarum Sanctorum Dioeceſeos Florentinae*. Tanti autem factae fuerunt eius Epiſtolae Paſtorales, ut Cardinalis *Maſſeius* Anconae Epiſcopus ſuae Synodo duas inſeruerit; quaedam autem iterum in vulgus Florentiae proditae fuerint a *Franc. Caietano Incontrio* Reverendiſſimo Archiepiſcopo Florentino. Ex his, quae hactenus dicta ſunt, ſatis elucet, arbitror, quae opera, quos libros, *Lanfredinius* Eminentiſſimus elucubraverit. Haec quidem de *Lanfredinio* Cardinali litteris mandavi, excerpta ex copioſiore Vita diligentiſſime ſcripta ab eruditiſſimo *Salvino Salvinio*, Patricio & Canonico Florentino, olim ab eo edenda inter Vitas Canonicorum Florentinorum, quas labore indefeſſo, & magna cum laude nunc ſcribit.

CA-

CAIETANVS ARGENTVS

Auctore Anonymo

Franc. Cecchio interprete

CAietanus Argentus Dux, S. Conſilii Neapolis Praeſes, Conſentiae natus eſt III. KL. Ianuarias anno MDCLXI. Ibi degit uſque ad annum XVII. aetatis ſuae, ibique didicit a praeſtantiſſimis illis viris Conſentinae Academiae, toto terrarum orbe celeberrimae, cuiuſque adhuc illis temporibus veſtigia exſtabant, quae nunc extincta videntur, & humanas literas, & Philoſophiam, & Iuriſprudentiam, quum audiviſſet inter ceteros, tamquam praeceptorem, celebrem *Pyrrhum Schettinium*, feliciſſimum, & feſtivum Poetam, qui illum impulit, ut legeret in Academia varia poematia tam Latina, quam Tuſcanica, indicium praebens ea aetate has duas linguas perfecte poſſidendi, illaſque tractandi ſumma celeritate. Sed quum deeſſet Conſentiae, qui tunc profiteretur Graecam linguam, ipſe per ſe illam adſequutus eſt, & ita peritus evaſit, ut, quum videndi libros Graecos facultas non amplius ei ſubpeditata fuerit per annos quinquaginta, viderimus eum hiſce diebus, aetate eius ultima, legentem expedito oculo *Theocritum*, & *Demoſthenem*, Graece exaratos, ſermone aut Latino, aut Italico. Vix expletis XVII. annis venit Neapolim; ubi incubuit ad ſtudium penitius legum, & cepit exercere nobilem artem Advocati, qua ſe reddidit

ce-

celeberrimum brevi tempore, quum haberetur paſſim unus e doctioribus Iureconſultis noſtri fori, & orator praecipuus. Initio frequentavit doctiſſimum, praeſignemque, *Carolum Suſannam*, hominem abunde cultum in bonis literis, & vera Iurisprudentia, ſed parum felicem; quare, ut forenſem peritiam penitus calleret, accedere coactus fuit ad famigeratum *Seraphinum Biſcardum*, popularem ſuum, & aliquatenus cognitum; apud quem clientes acquiſivit valde numeroſos, famamque adeo magnam, ut, quum eius Magiſter inter Politicos Miniſtros cooptatus fuiſſet, evaſerit prope ſucceſſor illius copioſae clientelae, & unus ex primis, & celebratiſſimis noſtrorum temporum Patronis, quum ei primas omnes concederent in doctrina, quamquam aemulatores nactus ſit in orandi facilitate. Perduravit in hac celebri fama uſque ad annum MDCCVII. & eius domus erat veluti emporium primariae nobilitatis, & omnium Literatorum, & cultioris gentis, illius regionis; & advenae quoque ipſi ad eum audiendum conveniebant in foro orantem; aut inviſebant domi ſubſiſtentem, ut eius indolem penitus, doctrinamque, dignoſcerent: & quotidie efflagitabatur ex variis partibus Italiae, & ultra montanarum regionum, aliquam conſultationem, aut reſponſum, in gravibus, & implicatis, negotiis. Adſcendit dein anno MDCCVII. ad gradum Conſiliarii in Sacro Conſilio, & ſtatim via ei aperta eſt alterum pelagus pervadendi, tractaturo, a primis illis momentis ſui miniſterii, res politicas, & publicam procurationem, per varios Magiſtratus, quibus functus eſt; & illi opus fuit ſe immergere in ſinum rerum Eccleſiaſticarum, quia ortis diſſen-

ſenſionibus & controverſiis inter Aulam Romanam, & Barchinonenſem, non tantum renovatae ſunt veteres diſputationes de iurisdictione inter poteſtatem Eccleſiaſticam, & laicam, quas per ſaecula integra turbaverant hoc regnum; ſed novae aliae inſurrexerunt: & in hiſce omnibus ſcribere debuit conſultationes, quae prolixius productae formam fere induerant ampliorum tractatuum. Sed praecipue illis primis temporibus illi ſubſtinendum fuit edicta, quibus vetitum fuerat extraneis frui beneficiis Regni Neapolitani, & integrum librum hac de re publici iuris fecit Latine exaratum, qui expetitus fuit avide, & laudatus tamquam doctiſſimus, & religioſa verecundia plenus. Duobus vix annis elapſis, anno MDCCIX. promotus fuit ad ſupremam dignitatem Regentis Collegii & Conſilii, & deſtinatus, utpote Delegatus Iudex regiae Iuriſdictionis, ad tuenda regalia iura; quam dignitatem tenuit donec vitam vixit inaudito exemplo, & etiam quum evectus fuiſſet ad gradum Praeſidis S. R. C. & ita in his negociis non minus, quam gravioribus politicae adminiſtrationis, & iuſtitiae, maximopere emicuit. Poſt quatuor annos munus obtinuit Praeſidis S. C. quod donec vixit, obivit. Quae & quantae res in manus eius inciderint, & quomodo in omnibus excelluerit, & quantum aequale nomen reliquerit, orbem terrarum minime latet. Non tantum propter res intimas Regni ipſe ſemper rogabatur ſententiam, & conſilium; ſed & in ipſa publicatione percelebris Pragmaticae Sanctionis, quae tantum Europam perturbat, partem habuit: & quum ad eum omnia ſcripta delata fuiſſent, pertinentia ad

ſuc-

ſucceſſionem Imperatoris *Caroli VI.* opus habuit ſcribere vegrandem conſultationem; in qua innuit etiam normam eam ſucceſſionem ordinandi, poſtquam enunciaverat id, quod neceſſarium eſſet circa provincias, & regna, quae vaſtam illam Monarchiam componebant. Quoniam vero voluit aetate annorum LXVIII: illud idem agere, quod faciebat vertente XX: annorum, ſtudiis & laboribus vel horas XIV. aut XV. diei impendens; & ſuſcipere elucubrandum tractatum de rebus omnibus, quibus de agebatur in Concilio Romano ſub Papa *Benedicto XIII.* illi tamdem ſuccumbendum fuit & deficiendum; nam apoplexeos ictu percuſſus fuit, & per annum quidem, & menſes aliquot convaluiſſe videbatur; ſed perſiſtens in laboribus III: KL. Iunias an. MDCCXXX. ſubitanea morte ſublatus eſt: Eius mors inſolitum quidpiam habuit; etenim mane in Collegium iverat, ibique cauſſas retulerat, deque iis iudicium tulerat, magna animi alacritate; adeo ut *Regentes*, & Prorex, illi congratulati fuerint, quod priſtinum iam recuperaſſet vigorem: Sed quum domum ſe recepiſſet, quumque pranderet, memoria ſubito illi defecit rerum omnium; & nativi etiam ſermonis; verbaque faciebat nullius ſententiae, quamvis nec motum, nec ſenſum; a principio amiſiſſet: Depoſitus mox in ſella, nihil iuvantibus variis remediis adhibitis, ſanguiniſque emiſſionibus, naturae conceſſit circa duas horas noctis. Connubium ipſe inierat anno MDCCXIV. cum *Conſtantia Mirellia*, ſorore Principis Theorae, & quatuor filios ex ea procrearat, duos mares, totidemque femellas; attamen maſculi, & ex femi-

minis una, mortui fuerant vix in lucem editi. Quare fuit eius heres filia ſuperſtes, nomine *Margarita*, matrimonio iuncta Principi Meliſſani *Caracciolio*, a qua curata ſunt patri ſolemnia iuſta in templo ſancti *Ioannis ad Carbonariam*, ubi tumulatus fuit in ſua aedicula; & funebres orationes circumferuntur excuſae, lucubrationesque, quae hac occaſione dictae ſunt ab Literatis primariis huius Metropolis, ita diſponentibus natu minoris filiae Curatoribus. Hiſce ab Anonymo ſcriptis *Io. Lamius* addiderim, quum Mediolani anno MDCCXXIIX. verſarer, me ibidem inter alios duos eruditos viros cognoviſſe, *Horatium Blancum* Romanum, & *Simplician. Lactuadam*, Mediolanenſem Sacerdotem. *Blancum* autem eruditiſſimum mihi adfirmaviſſe memini, amplam illam materiae ſuppellectilem ad Neapolitanam Hiſtoriam copioſe diligenterque condendam, quam *Petr. Ioannonius* in ſuos adeo ab Eccleſiaſtico foro agitatos Commentarios tranſtulit, a Praeſide *Argento* magnam partem quaeſitam, & ſubpeditatam fuiſſe, latere tamen omnino ſatagente, ne ſi id innotuiſſet, ſibi damno fraudique aliqua eſſet. Hanc ego notitiam deinde, quum Lutetiae Pariſiorum eſſem, & ad Bibliothecam Coenobii D. *Germani* Pratenſis frequenter accederem, anno MDCCXXIX. cum docto Monacho eidem Bibliothecae Praefecto communicavi; qui eam gratiſſimam habuit, ſcriptis mandavit, & Hiſtoriae Civili Neapolitanae a *Ioannonio* ſcriptae adfixit, coram ſtrenuo, & erudito Comite *Scipione Buſellio* Bergomate.

AP-

APPENDIX

SEV PARS ALTERA SEORSIM EDETVR.

INDEX

Eorum, quorum Elogia in hac Parte prima continentur.

HORATIVS PACIFICVS. 1.
VINCENTIVS VIVIANIVS. 7.
PETRVS IOANNONIVS. 23.
IO. DOMINICVS CASSINIVS. 33.
IOSEPHVS AVRELIVS DE IANVARIO. 60.
VINCENTIVS LVDOVICVS GOTTIVS CARDINALIS. 65.
CAROLVS MAIELLVS. 97.
FRANCISCVS LEMENIVS. 109.
MARCVS BATTAGLINVS. 121.
ANDREAS BATTAGLINVS. 133.
CAROLVS FELIX LAMIVS. 157.
IOANNES BAPTISTA FAGIOLIVS. 165.
GREGORIVS REDIVS. 205.
ANTONIVS MARIA LVPIVS. 221.
GVIDO GRANDIVS. 237.
IACOBVS LANFREDINIVS CARDIN. 288.
CAIETANVS ARGENTVS. 296.

INDEX

Secundum ordinem Elementorum digeſtus.

ARgentus. Caietanus. 296.
Battaglinus. Andreas. 133.
Battaglinus. Marcus. 121.
Caſſinius. Io. Dominicus. 33.
Fagiolius. Io. Baptiſta. 165.
Gottius. Vincentius Ludovicus. 65.
Grandius. Guido. 137.
Ianuario. Ioſephus Aurelius de. 60.
Ioannonius. Petrus. 23.
Lamius. Carolus Felix. 157.
Lanfredinius. Iacobus. 288.
Lemenius. Franciſcus. 109.
Lupius. Ant. Maria. 221.
Maiellus. Carolus. 97.
Pacificus. Horatius. 1.
Redius. Gregorius. 205.
Vivianius. Vincentius. 7.

INDEX CHRONOLOGICVS.

*****

638. *Epocha Aſtronomica Siamenſium incipit*. 54.

1125. *Piſani Amalphim diripiunt*. Pag. 263.

1569. *Iacobus Malateſta Roncofrigidi & Montis Iani regulus in bello Cyprio captivus Turcarum fit*. 121.

1575. *Egnatius Dantes Aſtronomus lineam Meridianam in D. Petronii Bononiae deſcribit*. 38.

1577. *Tycho Brahaeus Cometem obſervat*. 51. 52.

1607. *Hippolytus Libanorius mercaturam Florentiae facit*. 166.

1615. *Antonius Maria Fagiolius Londini verſatur*. 168.

1622. *Vincentius Vivianius Florentinus naſcitur*. 7.

1625. *Io. Dominicus Caſſinius Aſtronomus naſcitur*. 33.

1634. *Franciſcus Lemenius Laude Pompeia naſcitur*. 109.

1639. *Vincentius Vivianius Galilaeo inſtituendum ſe dedit*. 8.

1645. *Marcus Battaglinus naſcitur*. 121.

1646. *Vivianus Ariſtaeum reſtituere tentat*. 9.

Caſſinii Poemata quaedam Latina eduntur. 33.

1650. *Caſſinius Aſtronomiae profitendae Bononiae praeficitur.* 34.

1651. *Caſſinius obſervationes Aſtronomicas a Petro Gaſſendo petit.* 36.

1652. *Caſſinius & Malvaſia Cometen contemplantur.* 35.

1653. *Caſſinius de Comete opus edit,* 35. *& lineam aliam Meridianam in D. Petronii Bononiae deſcribit.* 38. *Vivianius de Maximis & Minimis opus edit.* 21.

1655. *Hugenius unum ſeu quartum Saturni Satellitem deprehendit.* 53.

1657. *Caſſinius cum Tanara Marchione Romam de Reni aquis acturus mittitur.* 41.

1658. *Io. Alfonſus Borellus Apollonii Pergaei Conica reliqua ex Arabico ſermone in Latinum transferenda curat.* 11.

1660. *Io. Baptiſta Fagiolius Florentinus naſcitur.* 166.

1661. *Abrahamus Ecchellenſis Maronita ſuam Apollonii Pergaei interpretationem typis mandat.* 12. *Caietanus Argentus Conſentiae oritur.* 296. *Caſſinius longitudines per Solares Eclipſes deprehendit.* 58. *Malvaſia Tabulis Caſſinii uſus Ephemeridas ab hoc anno incipientes ſcribit.* 41.

1663. *Caſſinius Arcis Vrbani munimentis perficiendis praeeſt.* 42.

1664. *Caſſinius Cometen Romae obſervat.* 143. *Vincentius Ludovicus Gottius Cardinalis naſcitur.* 65. *Vincentius Vivianius, & Senator Michelottius, iuſſu Magni Ducis; Cardi-*

nalis

nalis Carpineus , & Caſſinius , iuſſu Pontificis Maximi , Clani coercendo operam navant . 13.

1665. *Carolus Maiellus Neapolitanus naſcitur .* 97. *Caſſinius alium Cometen obſervat .* 44. *Mediceorum Planetarum umbras deprehendit .* 45. *Clanis inſpectio continuatur .*

1666. *Colbertus Regiam Scientiarum Academiam Pariſiis iuſſu Regis inſtituit .* 49. *Vivianius Magni Ducis Mathematicus primarius renunciatur .* 14.

1667. *Carolus Felix Lamius oritur .* 157. *Caſſinius Martem Terrae adpropinquitatem obſervat ; & maculas in Veneris orbe detegit .* 46. *Mediceorum Planetarum Ephemeridas in lucem emittit .* 47.

1668. *Caſſinius Iovis Satellitum tabulas edit .* 55.

1669. *Caſſinius in Galliam a Rege arceſſitur .* 50. *Lineam Meridianam in Obſervatorio Pariſienſi* Pichardus *deſcribere incipit .* 57.

1671. *Caſſinius tertium & quintum Saturni Satellites deprehendit .* 53. *Guido Grandius Cremonenſis naſcitur .* 237.

1672. *Academia Pariſienſis obſervatores in Inſulam Caiennam mittit .* 50. *Antonius Maria Fagiolius Io. Baptiſtae pater moritur .* 167. 168. *Io. Baptiſta Fagiolius Diarium rerum , quae ſuo tempore contigere , ſcribere adgreditur .* 204.

1673. *Caſſinius Gallica Civilitate donatur .* 50. *Caſſinius Saturni Satellites exploratos habet .* 53. *Vivianius Ariſtaeum ſuum excudere coepit .* 14.

1674. *Io. Baptiſta Fagiolius forenſi miniſterio ſe addicit .* 168. *Academia Imperfectorum Floren-*

rentiae inſtituitur. 169. *Tractatus Galilaei de Proportionibus a Viviano editur*, 15. *Vivianius de Operibus poſtumis Galilaei opus edit*. 21.

1675. *Gregorius Redius Arretinus naſcitur*. 205.

1676. *Animi remiſſio Geometrica Vivianii*. 21. *Petrus Ioannonius Appulus naſcitur*. 23. *Tria Problemata Mathematica a Comiero proponuntur*. 15.

1677. *Io. Baptiſta Fagiolius re nimium auguſto domi premitur*. 172. *Vivianius Comieri Problemata reſolvit*. 15. 21.

1678. *Battaglinus Notas politicas in primam Epiſtolam Ciceronis ad Q. Fratrem publici iuris facit*. 124. *Caietanus Argentus Neapolim contendit* 296. *Io. Baptiſta Fagiolius Curiae Eccleſiaſticae ſe addicit*. 172.

1680. *Caſſinius Cometen obſervat*. 51. *Gottius in Dominicanorum familiam adſciſcitur*. 65. *Iacobus Lanfredinius Florentinus naſcitur*. 283. *Marcus Battaglinius opus* Iureconſultus Philoſophus *inſcriptum edit*. 124.

1681. *Io. Baptiſta Fagiolius Tabularii Archiepiſcopalis miniſter fit*. 173.

1682. *Cardinalis Nerlius Archiepiſcopatu Florentino ſe abdicat*. 172.

1683. *Caſſinius luminis cuiuſdam in Zodiaco theoriam deſcribit*. 52. *Delabirius, & Caſſinius lineam Meridianam Obſervatorii Pariſienſis continuant*. 57. *Io. Baptiſta Fagiolius Vindobonam obſidione Turcica liberatam decantat*. 176.

1684. *Caſſinius Saturni obſervationes perfecit, quum & iam primum & ſecundum eius Satellites deprehendiſſet*. 53. *Io. Baptiſta Cannetus*

tus

tus Ordini Camaldulenſi nomen dat, & Guido Grandius Ieſuitis inſtituendum ſe tradit. 237.

1685. *Marcus Battaglinius hiſtoriam generalem Conciliorum evulgat.* 125.

1686. *Franciſcus Maria Princeps ab Etruria Cardinalis creatur.* 178.

1687. *Guido Grandius Monachus Camaldulenſis fit.* 238. *Maraldius in Galliam proficiſcitur, ut ab Caſſinio patruo inſtituatur.* 58. *Methodus ſubputandi motus Solis, & Lunae apud Siamenſes uſitata in Gallias defertur.* 53. 54.

1688. *De Arno flumine Diſſertationem Vivianius edit.* 21. *Gottius ex Hiſpania in Italiam redit.* 67. *Horatius Pacificus Neapolitanus naſcitur.* 2. *Marcus Battaglinius hiſtoriam Conciliorum auctiorem recudit.* 125. *Vitalis Iordanus librum inſcriptum:* Fundamentum doctrinae motus gravium, *edit.* 249.

1689. *Guido Grandius de D. Romualdi laudibus orationem habet.* 239. *Innocentius XI. Marco Battaglinio Archiepiſcopatum Raguſae conferre vult; ſed hic renuit accipere.* 123.

1690. *Diomedis Bravae opus de Interpolatione Gratiani hoc anno editum fingitur.* 285. *Gregorius Barbaricus Cardinalis, & Epiſcopus Patavinus Marco Battaglinio ſcribit hortans ut hiſtoriam res Eccleſiae, & geſta Principum continentem ſcriberet.* 126. 127. *Io. Baptiſta Fagiolus in Polonia verſatur, & Varſoviam ingreditur.* 174. 175. *Marcus Battaglinius Epiſcopus Nuceriae conſecratur.* 123. *Petrus Ioannonius Neapolim contendit.* 23.

1691.

1691. *Carolus Felix Lamius Theſes Theologicas propugnat*. 159. *Io. Baptiſta Fagiolius ex Polonia Florentiam revertitur*. 175. *Vivianius de Quadratura fornici opus edit*. 17. 21.

1692. *Marcus Battaglinius Inſtructionem ad Parochos pro ſacris Concionibus edit*. 131. *Vincentius Vivianius ſua de Fornice problemata edit*. 277. *Problema in Lipſienſibus Actis proponit*. 16. 21.

1693. *Auguſtinus Cultellinius Academiae Apathiſtarum auctor obit*. 191.

1693. *Carolus Felix Lamius Venetiis in Tuſciam redit*. 159. *Caſſinius novas Satellitum Iovis tabulas edit*. 55.

1694. *Comitia Generalia Minorum ab Obſervantia in Hiſpania habentur, quibus Carolus Felix Lamius intereſt*. 159. *Guido Grandius Theſes Philoſophicas propugnat*. 240. *Io. Baptiſta Fagiolius Actuarius Curiae Archiepiſcopalis Florentiae eligitur*. 177. *Marcus Battaglinius exercitia ſpiritualia ante feſtum D. Rinaldi Epiſcopi Nucerini peragenda edit*. 131. 132.

1695. *Antonius Maria Lupius Florentinus naſcitur*. 221. *Caſſinius in Italiam remeat*. 56. *Guido Grandius ſuum de Muſica tractatum recenſet*. 241. *Gottius in Academia Bononienſi Theologiae Profeſſor eligitur*. 68.

1696. *Io. Baptiſta Fagiolius de uxore ducenda cogitat*. 181. *Vivianius in Regiam Londinenſem Societatem cooptatur*. 19.

1697. *Franciſcus Redius Arretinus obit*. 208.

1698. *Iacobus Martia Archiepiſcopus Florentinus Io. Baptiſtam Fagiolium Cancellarium Dioece-*

ſa-

ſanarum Viſitationum renunciat . 187. qui etiam Academicus Florentinus fit . 191. & uxorem ducit . 181

1699. *Gottius Metaphyſica in Coenobio Bononienſi docet . 68. Guido Grandius Problematum Vivianeorum demonſtrationem edit . 242. Iacobus Lanfredinius fit Canonicus Florentinus . 289. Io. Baptiſtae Fagiolii mater obit . 181. Narciſſus, Franciſci Lemenii Drama, Vindobonae agitur . 116. Vivianius in Academiam Scientiarum Pariſienſem cooptatur . 17.*

1700. *Caſſinius lineam Meridianam Obſervatorii Pariſienſis uſque ad Ruſcinonis extrema producit . 57. Iacobus Lanfredinius Piſas contendit doctrinis operam daturus . 289. Io. Baptiſta Fagiolius cum Cardinali Mediceo Romam ad Conclave proficiſcitur . 194. Io. Gaſto Princeps ab Etruria Guidoni Grandio ſcribit ; & Grandius ad Piſanam Cathedram promovetur . 243.*

1701. *Grandius Geometricam demonſtrationem Theorematum Hugenianorum edit . 277. Iacobus Lanfredinius in Collegium Romanum ingreditur . 289. Io. Baptiſta Fagiolius Arcadum coetui Romae adſcribitur . 191. Ioſeph Aurelius de Ianuario Neapolitanus naſcitur . 60. Marcus Battagliniius primum volumen Annalium Sacerdotii & Imperii edit . 126. Vivianius tres de Ariſtaeo libros evulgat . 18. 22.*

1702. *Gottius Magiſtri ſtudentium in Coenobio Bononienſi munere fungitur . 68. Iacobus Laderchius Vitam S. Petri Damiani edit . 244. Iacobus Lanfredinius de laudibus D. Zenobii ora-*

orationem habet. 289. *Marcus Battaglinius Viſitator quarumdam Dioeceſeon a Clemente XI. creatur*. 129.

1703. *Grandius edit librum de Quadratura Circuli & Hyperbolae*. 278. 243. *Vivianius moritur*. 20.

1704. *Andreas Battaglinius naſcitur*. 133. *David Gregorius opus Mathematicum Grandio recenſendum mittit*. 275. *Franciſcus Lemenius moritur*. 119. 120. *Marcus Battaglinius ſecundum volumen Annalium Sacerdotii & Imperii edit*. 126. *Hiſtoria Conciliorum eiuſdem tertio recuditur*. 131.

1705. *Henricus Nevvton Legatus Britannus ad Coſmum III. Magnum Ducem*. 194. *Seiani & Rufini Dialogum adverſus Laderchium edit Grandius*. 278. *Leibnitius Guidoni Grandio ſcribit*. 243. *& Grandius quaedam ad Hiſtoriam Monaſticam ſpectantia commentatur*. 244.

1706. *Caſſinius qualitatem Solaris Eclipſis praedicit*. 53. *Guido Grandius Antonio Magliabechio ſcribit de ſuis Diſſertationibus Camaldulenſibus*. 245. *& amicitiam cum Iacobo Hermanno Profeſſore Patavino contrahit*. 246. *Epiſtolam quoque contra Lucam Antonium Portium ſcribit*. 248. *Iacobus Piceninus Rhaetus Apologiam pro Eccleſiis Reformatis edit*. 70. *Varignonius Hermanno contra Grandium ſcribit*. 252.

1707. *Caietanus Argentus Conſiliarius in Sacro Conſilio Neapolis fit*. 297. *Grandius Diſſertationes Camaldulenſes edit*. 278. *Gregorius Redius Orationem de Sacro D. Stephani Ordine Piſis ha-*

habet. 221. *Guido Grandius Diſſertationes Camaldulenſes edit; & Horatio Burgundo Ieſuitae Metamorphoſin quamdam Mathematicam mittit*. 245. 246.

1708. *Fridericus IV. Daniae Rex Florentiam venit*. 194. *Gottius Coenobii Bononienſis Prior eligitur*. 69. *Guido Grandius Syſtema Sonitus Archiepiſcopi Armacani illuſtrat*. 246. *Iacobus Lanfredinius Canonicatu Florentino ſe abdicat*. 290.

1709. *Caietanus Argentus Regens Collegii & Conſilii, & Iudex Regiae Iuriſdictionis renunciatur*. 298. *Iacobus Piceninus de Concordia matrimonium inter & miniſterium opus edit*. 73. *Io. Baptiſta Cannetus Guidoni Grandio Ravenna ſcribit*. 246. *Io. Baptiſta Fagiolius D. Pauli ſodalitati adſcribitur*. 187. *Marcus Battaglinius tertium volumen Annalium Sacerdotii & Imperii edit*. 126.

1710. *Bernoullius Hermanno ſcribens Guidonem Grandium laudat*. 247. 248. *Grandius edit opus De infinitis infinitorum &c. & Quadraturam Circuli & Hyperbolae*. 279. *Iacobus Lanfredinius in Epiſtolis Sigiſmundi Coccapanii laudatur*. 290. *Andreas Semery Ieſuita Iacobum Piceninum refellit*. 70.

1711. *Antonius Maria Lupius Ieſuita fit*. 223. *Franciſcus Maria Mediceus Cardinalis obit*. 179. *Grandius Antilunarium publici iuris facit*. 280. *Henricus Brenkmannus Batavus ad Florentinos Pandectas deſcribendos Florentiam venit*. 194. *Io. Baptiſta Fagiolius Mediolani cum Carolo Emmanuele Ateſtino S. Chriſtinae Marchione amicitiam contrahit*. 191. *Marcus*

Battaglinius quartum volumen Annalium Sacerdotii & Imperii edit 126. Vitalis Iordanus Romanus contra Guidonem Grandium ſcribit. 249. Alexander Marchettius pariter contra Grandium ſcribit. 150.

1712. *Caſſinius obit. 59. Epiſtolae duae Vivianii a Guidone Grandio eduntur. 22. Grandius Dialogos contra Marchettium edit. 280. Gregorius Redius Orator ab Arretinis ad Clementem XI. mittitur. 209. Cardinalis Franciſcus Maria Caſinius Miniſtro Generali Cappuccinorum ſcribit. 109. 210. Guido Grandius Apologiam adverſus Marchettium evulgat. 251. Io. Baptiſta Fagiolius Apathiſtarum Academiae Praeſes eligitur. 192.*

1713. *Grandius edit Proſtaſin ad exceptiones Varignonii. 281. Iacobus Hermannus Profeſſor Patavinus in Germaniam redit. 246. Hyacinthus Tonti Auguſtinianus Iacobum Piceninum confutat. 71.*

1714. *Alexander Marchettius alia contra Grandium ſcribit; & moritur. 252. Verzaglia contra Grandium ſcribere minatur. 254. Grandius ad Matheſeos Cathedram evehitur. 255. Caietanus Argentus uxorem ducit. 299. Gottius patrii Coenobii Prior iterum renunciatur. 69. Grandius edit libellos in controverſia inter Richardios, & Nicolinios. 281.*

1715. *Grandius edit alium libellum in eadem controverſia. 281. 282. & Diſſertationem de palude Ficielenſi. 282. Varignonius contra Grandium ſcribit. 253.*

1716. *Marcus Battaglinius a Nucerina Eccleſia ad Caeſenatem transfertur. 129.*

1717.

1717. *Andreas Battaglinius in Collegium Ieſuitarum Bononiae ingreditur, & Ianus Plancus in eadem urbe verſatur.* 133. *Gottius Theologiae-Polemicae profitendae Bononiae praeficitur.* 73. *Academici Braenſes ſua Carmina Eugenio a Sabaudia Principi dicanda, Io. Baptiſtae Fagiolii iudicio ſubiiciunt, quum iterum eſſet Apathiſtarum Praeſes.* 192. *Marcus Battaglinius moritur.* 127. 130.

1718. *Grandius alia ſcribit de Palude Ficicleuſi; editque Tractatum Vivianaeum de Reſiſtentiis abſolutum.* 282. *& Piſas revertitur.* 256.

1719. *Gottius opus contra Piceninum edit.* 71. *Grandius ad Padum coercendum rurſus arceſſitur.* 258.

1720. *Carolus Felix Lamius obit.* 164. *Franciſcus Maria Corſinianus Advocatus, & Berterinius, a Victorio Amedeo Sardiniae Rege Auguſtam Taurinorum arceſſuntur, ut legum Codicem digererent.* 193. *Gottius tertio Prior Coenobii Bononienſis eligitur.* 74.

1721. *Hieronymus Archintus Pontificius apud Poloniae Regem Orator obit.* 194. *Lanfredinius Ponens Congregationis boni gubernii fit.* 292.

1722. *Andreas Battaglinius Philoſophiae operam navat.* 134. *Epitaphium Severae Martyris Romae eruitur.* 232. *Grandii opus de Conicis Sectionibus editur.* 258. *Grandius ſuam Diacriſin in Thomam Cevam ſcribit.* 261.

1723. *Grandius Regiae Societati Londinenſi Florum Geometricorum Manipulum mittit.* 259. *Item Diacriſin edit.* 260. *Petrus Ioannonius*

Hiſtoriam Civilem Regni Neapolitani edit . 241.

1724. *Andreas Battaglinius Romae acuta febri corripitur* . 133. *Grandius Diacriſin edit* . 284. *Grandius Lucam petit, ut litem inter populos quoſdam exortam componat* . 261. 262. *Laufredinius Orationem in obitu Innocentii XIII. edit*. 292.

1725. *Henricus Watzdorff Saxo Poloniae Regis Orator Florentiam venit*. 194.

1727. *Andreas Battaglinius; & Ianus Plancus, aliique Ariminenses, Etruriam luſtrant*. 137. 138. *Gottius Colloquia Theologico-Polemica edit*. 72. & *opus aliud contra alium Piceninì libellum*. 74. *Grandius Flores Geometricos edit*. 267.

1728. *Bernardus Taniccius Profeſſor Piſanus de Pandectis contra Grandium ſcribit; & ei Grandius reſpondet*. 264. *Camuſius Gallus quaedam Mathematica edit*. 268. *Collegium Nobilium Panhormi ab Ieſuitis excitatur*. 229. *Gottius Cardinalis creatur*. 76. *Grandius ſcribit in controverſia inter Epiſcopum Lucenſem, & Patricios quoſdam Lucenſes*. 284. 285. *Io. Lamius Mediolani verſatur; & viris eruditis congreditur*. 300. *Ioſephus Sanfelicius Ieſuita adverſus Ioannonii Hiſtoriam librum edit*. 27. *Laufredinius Canoniſta Romae eligitur*. 292.

1729. *Antonius Maria Lupius Ieſuita ſolemnem profeſſionem emittit*. 224. *Bernardus Tanuccius iterum contra Grandium ſcribit*. 265. *Grandius Pet. Franc. Riccio Senatori ſcribit de Specula Aſtronomica Piſis excitanda*. 267.

Ioan-

Ioannes Lamius Lutetiae Pariſiorum verſatur, & ſaepe ad Bibliothecam Benedictinorum Maurinorum accedit. 300. Petrus Antonius Michelius Botanicus, & Thomas Perellius Geometra Ariminum concedunt. 139.

1730. *Caietanus Argentus moritur.* 299. *Grandius Florentiae Flores Geometricos iterum edit.* 267. *Grandius Tannecio reſpondet.* 265. *Lanfredinius Canonicus S. Petri in Vaticano creatur.* 291. *Orationem de eligendo Pontifice ad Cardinales habitam edit.* 292.

1731. *Grandius Compendium Vitae B. Petri Vrſeoli edit.* 267. 286. *Ioannonius Sanfelicio reſpondet.* 28. *Ioſeph Aurelius de Ianuario Remp. Iuriſconſultorum Neapoli edit.* 61. 62. *Lanfredinius Secretarius Congregationis Concilii renunciatur.* 291.

1732. *Andreas Battaglinius Bononiam redit, Muſicae Magiſtrum egregium quaerens.* 143. *Antonius Maria Lupius Subſtitutus Aſſiſtentiae Italiae inter Ieſuitas renunciatur.* 226. *Romae Aediculae D. Andreae Corſinio ſacrae fundamenta iaciuntur, & multae antiquitatis reliquiae refodiuntur.* 227. *Ioannonius de Dicaſteriis Vindobonenſibus opus edit.* 28.

1733. *Antonius Maria Lupius Panhormum contendit Rhetoricen profeſſurus.* 229. *Andreas Battaglinius, & Ianus Plancus anatomicas praelectiones Bononiae audiunt.* 144. *Chriſtianus Schvvartius Altorfinus Profeſſor de Pandectis commentatur, & Grandio favet.* 266. *Grandius contra Fidelem Soldanium Vallumbroſanum ſcribit.* 268.

de formulis Bonae memoriae, Piae memoriae *&c. ſcribit*. 269. *Reſp. Iuriſconſultorum Ioſephi Aurelii de Ianuario Lipſiae iterum editur*. 62.

1734. *Antonius Maria Lupius Diſſertationem de Epitaphio Severae Martyris Panhormi edit*. 230. *in Ereinorum coetu de anno Chriſti natali Diſſertationem legit*. 234. *Comoediae Io. Baptiſtae Fagiolis publici iuris fiunt*. 202. *Gottius adverſus Io. Clericum libellum edit*. 80. *& eius Colloquia Theologico-Polemica iterum Mediolani eduntur*. 72. *Grandius de tempore celebrandi Paſcha ſcribit, & Abbas Coenobii Piſani iterum renunciatur*. 269. *Gregorius Redius Pſalmos Italicis verſibus expreſſos edit; & eiuſdem Epiſtola ad Ant. Franc. Gorium publici iuris fit*. 220. *Iacobus Lanfredinius Cardinalis creatur*. 291. *Ioannonius Venetias ſe confert*. 29.

1735. *Andreas Battaglinius moritur*. 147. *Gaſto Gorinius Marchio Mediolanenſis Florentiam venit*. 194. *Gottius edit opus adverſus Sectas omnes*. 81. *Grandius de Pilei albi in nigrum mutatione pro ſuo Ordine ſcribit*. 270. *Gregorii Redii Diſſertatio de Diis Adhaerentibus editur*. 220. *Henricus Brenchmannus contra Grandium de Pandectis ſe defendit*. 266. *Ioannonius Venetiis & Mediolano expellitur*. 29. 30. *Ioſeph Aurelius de Ianuario Hiſtoriam familiae Montis alti edit*. 62. *Mauſoleum Galilaeo exſtruitur*. 21.

1736. *Ant. Maria Lupius funebrem Orationem de Caſimiri Draconis laudibus Panhormi habet*. 234. *Grandius de Aquis diſceptationem* pu-

publicat. 270. *Ioannonius carceri mancipatur*. 30. 31. *Ioſeph Iſidorus Fagiolius cum Patre in Curia Archiepiſcopali occupatur*. 182. *Proſa oratione opuſcula Io. Baptiſtae Fagiolii eduntur*. 202.

1737. *Corpus S. Innocentii Martyris Panhormum Roma transfertur; & Ant. Mar. Lupius libellum eius inventionis hiſtoriam continentem edit, ac deinde moritur*. 235. *Grandius ſcribit in controverſia inter Sinalongenſes, & Ordinem Equitum D. Stephani*. 286. *& ſuum de Conicis Sectionibus Compedium Latine vertit*. 270. *Ioannonii filius a patre ſeparatur, & ex Sardiniae Regis ditione eiicitur*. 31.

1738. *Carolus Maiellus obit*. 105. *Ioannonius coram fidei Quaeſitore ſuas ſententias improbat & eiurat*. 32. *Ioſeph Aurelius de Ianuario Iudex magnae Vicariae Neapoli renunciatur*. 61. *Ioſeph Iſidorus Fagiolius obit*. 182.

1739. *Inſtitutiones Mechanicae Guidonis Grandii eduntur*. 287. *Numiſma Grandii honori cuditur*. 271.

1740. *Duo Io. Baptiſtae Fagiolii nepotes moriuntur*. 182. *Elementa plana & ſolida Euclidis a Grandio Italice verſa, & Inſtitutiones Arithmeticae eiuſdem eduntur*. 287. *Franciſcus Caietanus Incontrius Archiepiſcopus Florentinus fit, & Io. Baptiſtam Fagiolium commendat*. 188. *Gottii opus adverſus Clericum Ratiſponae iterum editur*. 80. *& poſtremus Tomus operis eius adverſus non Chriſtianos vulgatur*. 81. *Gregorii Redii uxor moritur*. 212.

1741. *Benedictus XIV. Guidoni Grandio ſcribit.* 271. 276. 277. *Cardinalis Lanfredinius obit.* 294. *Carolus Rotius Ieſuita ſua Carmina Latina edit.* 195. *Grandii Inſtitutiones Geometricae eduntur.* 288. *Gregorius Redius Praeſul Domeſticus a Benedicto XIV. creatur.* 213. 214.

1742. *Gottius Cardinalis obit.* 93. 94. *Guido Grandius moritur.* 271. 272. 273. *Horatius Pacificus moritur.* 5. *Latina Carmina Ioſephi Aurelii de Ianuario eduntur.* 62. *Io. Baptiſta Fagiolius moritur.* 199.

1743. *Antonius Curſius Marchio Florentiae obit.* 198. *Andreas Petrus Iulianellius funebrem Orationem de laudibus Io. Baptiſtae Fagiolii edit.* 199. 200. *Gregorius Redius Romam contendit.* 214.

1744. *De Vitiis Patronorum in cauſis defendendis opus Ioſeph Aurelius de Ianuario edit.* 62. *Grandii Inſtitutiones Sectionum Conicarum eduntur.* 288. *Marius Lupius Bergomas de notis Chronologicis anni Chriſti natalis Librum Romae evulgat.* 234.

1745. *Gregorius Redius proſpera valetudine utitur.* 215. *Pars ſeptima Carminum Io. Baptiſtae Fagiolii editur.* 186.

IN-

99 964341

INDEX

RERVM MEMORABILIVM.

A

ABalphath. 12.
Abintroduco, Antonius. 159.
Academia Pariſienſis. 50.
Academiae Italiae diverſae. 191. 192.
Acciarolus, Nicolaus. 290.
Accoltus Forzonius, Petrus Andreas. 193.
Adda, Ferdinandus de. 245.
Ahenobarbus, Fridericus. 109.
Albanius, Annibal Cardinalis. 290.
Albergottius, Michael Angelus. 219.
Albizius, Lucas. 242.
Alexander VIII. 123.
Allorius, Chriſtophorus. 190.
Aloyſius, Dominicus. 23.
Amedeus Victorius Sardiniae Rex. 91.
Andreas a Santa Cruce. 173.
Andreas a Sancto Sebaſtiano. 288.
Angelis, De. 18.
Anguillara, Io. de. 259.
Antonius Redius. 117.
Apathiſtarum Academia Flor. & eius Fundator. 191.

Apol-

Apollonius Pergaeus. 11.
Apologia pro Eccleſiis reformatis. 70.
Appianus, Paulus Antonius. 176.
Aquaviva Cardinalis. 102.
Archintus, Hieronymus. 194.
Argentus, Caietanus. 23. 25. 296.
Ariſius, Bartholemeus. 111.
Ariſius, Franciſcus. 275.
Aſſaltus, Petrus. 135. 136.
Aſtronomia. 37.
Ateſtinus, Emmanuel. 191.
Averanius, Ioſeph. 185. 262. 269. 289.
Auria, Ianuarius. 100.
Auzut, Hadrianus. 20.
Azolinus, Decius Cardinalis.

B

Bacchinus, Benedictus Abbas. 73.
Baccius, Hoſtilius Eques. 219.
Baglivius, Georgius. 243. 275.
Bandinius, Angelus Maria. 237.
Bandurius, Anſelmus. 244. 275.
Barbaricus, Gregorius Cardinalis. 126.
Barberinius, Franciſcus Cardinalis. 91.
Baufalius. 170.
Baſſanus, Hieronymus. 68.
Battaglinus, Andreas. 133. 151.
Battaglinus, Marcus. 121. 123.
Battaglinus, Paulus. 125. 133.
Bazzanus, Matthaeus 145.
Bellinius, Laurentius. 20. 275.

Be-

Bene, Thomas a. 193.
Benedictus XIII. 75. 76.
Benedictus XIV. 92. 212. 276.
Berardius. 169.
Bernabo Rochus. 81.
Bernius, Franciſcus. 171.
Bernoullius. 17. 19. 247.
Bettazius, Iacobus. 233.
Biaſuccius, Franciſcus Antonius. 181.
Billius, Bartolius. 19.
Bindius, Carolus. 288.
Biſcardius, Seraphinus. 297.
Biſcionius, Antonius Maria. 189. 199.
Bivinianus, Adeodatus Andreas. 219.
Blanchinius. 275.
Blanchinius, Ioſeph. 188.
Blanco, Baccius de. 9.
Blancus, Horatius. 309.
Boldettius, Marcus Antonius 227. 231.
Bollandus, Ioannes. 234.
Bonadieſius. 138.
Bonarotius, Michael Angelus. 193.
Bonarotius, Philippus. 127.
Bonaventurius, Thomas. 275.
Bonazyolius. 144.
Bonzettus, Barptolemaeus. 147.
Bonzettus, Livius. 136.
Borbonius, Carolus Rex Neapolis. 61.
Borellius, Ioannes Alphonſus. 110.
Borghinia, Silvagia. 186. 196.
Borromaea Grilla, Cloelia. 146.
Boſchius, Ioannes Carolus. 213.
Botrarius, Ioannes. 216. 258.
Bovius, Franciſcus. 109.

Bour-

Bourlemontius. 50.
Brenkmannus, Henricus. 144. 266.
Breſcianus, Benedictus. 167. 275.
Brignolius Ieſuita. 117.
Brocchius, Ioſeph Maria. 186. 198. 295.
Bulla *Unigenitus*. 105.
Bullialdus. 20. 36. 39.
Burgundius, Horatius. 245.
Burghius. 135.
Buſellius, Scipio. 300.

C

Cadentium Academia Flor. 176.
Caeva, Thomas. 243. 258. 260.
Calogerà, P. 269.
Camettus, Octavianus. 259.
Cannetus, Ioannes Baptiſta. 237. 240. 245.
Cantelmus, Iacobus. 98.
Capaſſius, Gerardus. 269.
Capaſſus, Nicolaus. 4. 97.
Capellanus. 16.
Capellus, Petrus. 258.
Caporalius, Caeſar. 188.
Capponius, Alexander Gregorius. 227.
Caracciolus Princeps. 300.
Caramellius, P. Franciſcus. 240.
Carolus VI. Imperator. 25. 299.
Carpineus, Caſpar Cardinalis. 13. 122. 124.
Caſadeus, Petrus Sanctes. 131.
Caſimirus Poloniae Rex. 18.
Caſinius, Franciſcus Cardinalis. 209.

Ca-

Caſinius, Sanctes. 189.
Caſortus, Ioannes Baptiſta. 275.
Caſſinius, Ioannes Dominicus. 13. 33.
Caſtellus. 20.
Cataſtinius Capucinus. 209.
Cavalerius. 20.
Cavalerius Pater. 34.
Cecchi s, Franciſcus. 205.
Cella, Ioannes Maria. 133. 149.
Ceratus, Caſpar. 136.
Cervionus, Thomas. 78.
Cervius, Thomas. 114. 117.
Chiabrera, Gabriel. 198.
Chiaſſelonius, Caſimirus Draco. 234.
Chiſius, Marius. 42.
Cicognimius. 169.
Cimenti Academia. 47.
Ciuffetrius, Dominicus. 264.
Clanis flumen. 47.
Clemens XI. 69. 92. 209. 290.
Clemens XII. 158. 235. 270.
Clemens a Sancto Carolo. 7.
Clericus, Ioannes. 80. 171.
Coactorum Academia Arretina. 192.
Coccapanius, Sigiſmundus. 290.
Cocchius, Franciſcus. 296.
Cogroſſius, Franciſcus Carolus. 135.
Colbertus. 49.
Comes, Nicolaus Cardinalis. 122.
Cometae. 43. 44. 51. 52.
Cometae motus. 35.
Comicrius 15.
Compagnonius, Pompeius. 295.
Concordium Academia. 238.

Con-

Conradius. 258.
Contuccius Contuccius. 227.
Cornelius. 170.
Corſignanius, Franciſcus Maria. 193.
Corbolius, Philippus. 295.
Corſinius, Bartholemaeus. 161. 235.
Corſinius, Laurentius, qui fuit Clemens XII. 158.
Corſinius, Nerius Cardinalis. 161.
Corſius, Dominicus Maria Cardinalis. 114.
Coſmas III. Dux Magnus. 241. 289.
Coſtadonius. 260.
Cozza, Laurentius Cardinalis. 158.
Creſcimbenius, Ioannes Maria. 117. 188. 275.
Cruſca, Academia Flor. 207.
Cultellinius, Auguſtinus. 191.
Curſius, Dominicus Maria. 126.
Cybus, Alderanus Cardinalis. 124.

D

Dantes, Egnatius. 38.
Dantius, Thomas Felix. 161.
Datius. 20.
Davanzatus, Ioſ. 249.
Directio Fluminum. 7.
Donius, Ioannes Baptiſta. 211.
Du-Hamelius. 20. 160.
Dupinus, Elias. 244.
Durantius, Laurentius Maria. 160.
Durantius, Michael Angelus. 157.

Ec-

E

Ecchellenſis, Abraham. 12.
Echard, Iacobus. 62.
Epochae Siamenſium. 54.
Ereinorum Academia. 234.
Eugenius a Sabaudia. 192.
Euſebius. 122.

F

Fabrius. 19.
Fagiolius, Io. Baptiſta. 165.
Fagnanius, Iulius Comes. 275.
Falconerius, Octavius. 44.
Felicius Comes. 194.
Ferdinandus II. Magnus Dux. 7.
Ferronius. 257.
Ferronius, Franciſcus. 198.
Ficoronius, Franciſcus. 227.
Filicaria, Laurentius. 193.
Florius Marius. 219.
Fogginius, Ioannes Baptiſta. 17.
Fogginius, Petrus Franciſcus. 231.
Fontanellius. 269.
Fontaninius, Iuſtus. 275.
Fortiatorum Acad. Arret. 207.
Forzonius, Auguſtinus. 274.
Franchius, Sebaſtianus. 240.

Franciſcus a S. Ioſeph. 7.
Franciſcus III. Magnus Dux. 219.
Frangipanis, 136.
Fridericus Ahenobarbus. 109.
Fromondus, Claudius. 274.
Froſinus, Thomas. 193.

G

Gagliardius Canonicus. 275.
Galaminius. 239.
Galeſſius, Iulianus. 131.
Galilaeus. 58.
Gallianus, Coeleſtinus. 136. 250. 256. 275.
Garatus, Martinus. 109.
Gaſſendus, Petrus. 36.
Gervaſonius, Ioannes Baptiſta. 137. 141. 146.
Geſſarius, Bernardinus. 270.
Ghedinus, Ferdinandus Antonius. 145. 149. 151.
Gherardeſca, Thomas. 181.
Ghivizzanius, Alexander. 180. 194.
Giglius, Hieronymus. 189.
Giulianellius, Andreas Petrus. 165.
Gloria Vincentius. 167.
Godefridius. 20.
Gonzaga, Eleonora. 158. 179.
Gorinus, Gaſto. 194.
Gorius, Antonius Franciſcus. 185. 191. 211. 229. 231. 270.
Gottius, Iacobus. 65.

Got-

Gottius, Vincentius Ludovicus Cardinalis. 65.
Gradius. 18.
Grandius, Guido. 162. 237.
Gratianus Comes. 49.
Gregorius, David. 18. 240. 275.
Gregorius, Iacobus. 20.
Gualterius, Nicolaus. 138.
Guazzeſius, Laurentius. 219.
Guidius, Franciſcus Sylvaticus Archiepiſcopus. 138.
Guilielminius. 57.
Guitto Arretinus. 216.
Gulielmius, Flavius. 168.

H

Hermannus, Iacobus. 246. 247.
Hevelius. 20.
Hodamus, Hieronymus. 227.
Hodierna. 48.
Hoſpitalius. 19.
Hugenius, Chriſtianus. 18. 20.
Huſen, Chriſtianus. 259.
Hyre, Philippus de la. 20.

I

Iannettius, Paſchaſius. 251. 266. 269.
Iannonius, Petrus. 23.
Ianuarius, Ioſeph Aurelius. 60.

Incontrius, Franc. Caietanus Archiep. Flor. 188.
Incontrius, Carolus Philippus Epiſcopus. 212.
Innocentius XI. P. M. 114. 123.
Innocentius XIII. 102. 290.
Ioan onius. 300.
Iupiter Planeta. 45. 48. 56.
Iuvenardus, Ioannes Paulus. 149.

K

Keplerus. 36. 39. 41.

L

Laborantium Academia Mediol. 117. 191.
Lactuada, Servilianus. 300.
Laderchius, Iacobus. 244.
Lagomarſinius, Hieronymus. 225. 231.
Lalovere. 19.
Lambertinus. Proſper Cardinalis. 144.
Lamius, Carolus Felix. 157.
Lamius, Iacobus. 161.
Lamius, Ioannes. 32. 109. 157. 180. 217. 221. 270. 288. 300.
Lanciſius. 275.
Lanfredinius, Iacobus Cardinalis. 288.
Lapius, Ioannes Antonius. 160.
Laurenzinius. 250.

Laz-

Lazzarinus. 135.
Leibnitius. 16. 243.
Lemenius, Franciſcus. 109.
Leonardellus, Hieronymus. 134.
Leopoldus Princeps ab Etruria. 47.
Leprottus, Antonius. 136.
Lercarius. 33.
Liſcius, Pius. 16.
Lockius. 3.
Lomellinus, Fr. Ioannes Bapt. Epiſc. 67.
Loubere, De la. 53. 54.
Lovillaeus. 269.
Luccabertus, Bartolus. 265.
Lucheſius, Iac. Ant. 180.
Lupius, Antonius Mar. 221.

M

Mabillonius. 20. 263.
Macaronea Poema. 113. 115.
Maemburgus. 125.
Maffeius, Scipio. 180. 194. 275.
Magalottius, Laurentius. 193. 247. 275.
Maggius, Carolus Maria. 111. 117.
Magiſtrinius, Ioannes Maria. 158. 159. 163.
Magliabechius, Antonius. 158. 174. 241. 245. 275.
Maiellus, Carolus. 97. 99. 102. 205.
Maiellus, Ianuarius. 106.
Malaſpina, Marcellus. 195.
Malateſtae Ariminenſes. 121.
Malvaſia Marchio. 41.

Manfredius, Euſtachius. 139. 145. 244. 254.
Manfredius, Gabriel. 244.
Mannius, Dominicus Maria. 229. 231.
Maraldius. 58.
Marangonius, Ioannes. 227. 233.
Marchettius, Alexander. 162. 244. 251.
Mareſcottia, Laura Angelellia. 196.
Marinius, Ioannes Baptiſta. 112.
Marinus Corcyraeus. 143.
Marius. 48.
Marmius, Franciſcus. 194.
Mars Planeta. 46. 51.
Martellius, Dominicus Abbas. 176.
Martellius, Ioſeph Archiep. Flor. 181.
Martene, Edm. 275.
Martinus, Pater. 211.
Martinellius, Chriſtinus. 128.
Maſſa, Renatus. 141.
Maſſaeus, Barptolemaeus. 141. 292. 295.
Matthaeuccius, Auguſtinus. 158.
Mazzochius, Symmachus. 106.
Medicea, Anna Maria Ludovica. 170. 180.
Mediceae Stellae. 45.
Mediceus, Coſmus III. 118. 170. 208. 242. 276.
Mediceus, Ferdinandus Princeps. 178. 179. 241. 243.
Mediceus, Franciſcus Maria Cardinalis. 118. 158. 177. 184.
Mediceus, Ioannes Carolus Cardinalis. 168.
Mediceus, Io. Gaſto. 118. 178. 243. 276.
Melanius. 180.
Melchiorius. 211.
Menkenius, Fridericus Otto. 62.

Me-

Meridiana linea Bononiae . 38. 57.
Meridiana linea Pariſiis. 57.
Meringius. 20.
Michelinus, Famianus. 7.
Michelius, Petrus Antonius. 138. 139.
Migliaccius, Laurentius. 254.
Minius, Bonaventura. 158.
Mirandulanus, Picus . 33.
Molierius . 170.
Monroy, Antonius de. 67.
Montalbanius. 47.
Montacutius Barbolanus, Torquatus. 117.
Montanarius, Geminianus. 41.
Montfauconius, Bernard. 245. 275.
Montius, Ioſeph . 145.
Morgagnus . 135.
Morigia, Iacobus Antonius Archiep. Flor. 176. 187.
Moſcadellius. 258.
Motus animalium. 11.
Mozzius, Marcus Antonius. 180.
Muratorius. Ludovicus Antonius. 109. 117. 263. 275.

N

Narduccius, Thomas. 246. 267.
Nerlius Cardinalis. 172.
Nerius, Philippus Sanctus. 116.
Newtonus, Henricus. 194. 247. 275.
Newtonus, Iſac. 3. 253. 275.
Nicolaus Comes. 122.

Nicolinius. 254.
Nicolinius, Antonius. 136.
Nomius, Fridericus. 216.
Noriſius, Henricus. 193.

O

Odeſcalchius, Livius Princeps. 114.
Olgiatus, Ioſeph. 71.
Ormea, Marchio. 32.
Ottobonius, Petrus Cardinalis. 118.

P

Pacificus, Horatius. 1.
Pacificus, Ioſeph. 3.
Pacificus, Matthaeus. 1.
Padi adluviones. 41.
Pamphilius, Benedictus. 118.
Panacea, Beata. 116.
Pandulphinus, Pandulphus. 195.
Panigatus, Antonius Semaſcus. 120.
Panſius, Ianus Valerius. 261.
Papa, Ioſeph de. 193. 269.
Pappus. 9.
Parallaxis Martis, & Solis. 51.
Pardies. 20.
Paſchalis Computus. 55.
Paſchalius, Ioſeph. 200.
Paſqualinius. 180.

Pau-

Pauli, Sebaſtianus. 27.
Perfectus, Bernardinus. 180.
Perellius, Thomas. 139. 143.
Periodus Luniſolaris, & Paſchalis. 55.
Petra Sancta, Sebaſtianus a. 7.
Philippus V. Hiſpaniarum Rex. 28.
Piccardus. 49.
Piceninus, Iacobus. 70.
Picolomineus, Franciſcus Maria. 138.
Pignatrellius, Antonius. 98.
Pignatrellius, Franciſcus Cardinalis. 25.
Pipia, Auguſtinus. 74. 75.
Piſanus, Angelus. 29.
Plancus, Ianus. 121. 133. 136. 139. 142. 149.
Polenus. 135.
Portius, Lucas Antonius. 248.

R

Racineſius. 170.
Recuperatorum Academia. 117.
Redius. 20.
Redius, Antonius. 117.
Redius, Didacus Ieſuita. 208.
Redius, Franciſcus. 117. 174. 193. 208.
Redius, Gregorius. 193. 205.
Refractiones Aſtrorum lucis. 40.
Riccardii Marchiones. 254.
Riccardius, Gabriel. 191. 195. 203. 224.
Ricchinius, Thom. Auguſtinus Dominicanus. 55.
Ricciolius Ieſuita. 39. 40.
Riccius. 19.

Riccius, Angelus Maria. 195. 289.
Riccius, Petrus Franciſcus. 267.
Rinuccinus Praeſul. 258.
Ripoll, Thomas 96.
Riviera Praeſul. 256.
Rohaultius. 160.
Rondellius. 254.
Roſſius, Carolus. 237.
Rotius, Carolus. 196.
Ruſchius. 272.

S

Sabaudia, Eugenius a. 192.
Saccherius P. Hieronymus. 237.
Salnitrius, Ignatius Maria. 230.
Salvinius, Antonius Maria. 180. 192. 294. 208. 219. 288. 289.
Salvinius, Salvinus. 200. 205. 295.
Salvius, Antonius. 196.
Sanctinus, Laurentius. 149.
Sancto Ioſeph, Franciſcus a. 7.
Sanfelicius, Ioſeph. 20.
Saturnus Planeta, & eius Satellites. 53.
Scapecchius 222.
Schettinius, Pyrrhus. 296.
Schwartius, Chriſtianus Gotlieb. 268.
Scopa, Ioannes Baptiſta 109.
Segnerus, Paulus. 111.
Segnius, Alexander. 193.
Semery, Andreas. 70. 71.
Seminarium S. Petri Romae. 104.

Ser-

Sergardius. 194.
Sergius, Ioannes Antonius. 60. 62.
Serryus. 135.
Severolius, Marcellus. 243. 275.
Siamenſium Epochae. 54.
Sluſius. 18. 19.
Sobieskia, Maria Clementina. 91.
Soldanius. 268. 272.
Soſigenes. 50.
Sperellius, Sperellus. 124.
Spinula, Georgius 77.
Stephanottius, Claudius. 244. 275.
Stroctia, Maria Tereſia. 183.
Stroctius, Leo Archiep. Flor. 181.
Surgentium Academia Flor. 176.
Suſanna, Carolus. 297.
Suſinius. 169.

T

Tambuccius, Hieronymus. 249.
Tanara, Marchio. 41.
Tanuccius, Bernardus. 263. 264. 265.
Tillius, Michael Angelus. 269.
Toccius, Petrus Franciſcus. 187.
Tonti, Hyacinthus. 70.
Toſius. 254.
Torellus, Thomas. 78.
Torres, Antonius. 98.
Torricellius Evangeliſta 8. 240. 246.
Tozzius, Brunus. 138.
Traverſarius, Ambroſius. 270.
Trezza, Valentinus. 110.
Turri, P. Ioſephus a. 66.

Val-

V

Valliſius. 18. 20. 240. 253.
Valliſnerius 135.
Valſalvus. 144.
Valſechius, Virginius. 269.
Varignonius. 20. 253.
Vaſellius. 180.
Vecchius. 289.
Venus Planeta. 46.
Venutus, Marcellus. 140.
Venutus, Ridolphinus. 227.
Via, Io. Antonius Cardinalis de. 126. 136. 137.
Victorius Amedeus Sardiniae Rex. 91.
Victorius, Franciſcus. 227.
Vidonius Cardinalis. 111.
Villanius, Filibertus. 117.
Villifranchius. 169.
Violantes Beatrix Princeps. 179.
Violantius, Philippus Poloniae Regis Medicus. 2
Vivianius, Ferdinandus. 241.
Vivianus, Vincentius. 6. 47. 257.
Voglius. Hyacinthus. 144.
Vnda, Angelus. 66.
Vrſinius, Vincentius Maria. 76.
Walterus, Ioannes. 194.
Whiſtonus. 51.
Vulpius, Ioſeph Rochus. 227.

Z

Zambonius, Franciſcus. 193.
Zancherius, Caſpar. 131.
Zannottus, Franciſcus. 145.
Zendrinius, Bernardinus. 259.

AD-

ADDENDA, ET EMENDANDA.

Pag. 7. lin. 5. *Maria Alamanni F. de Nente ec.*
58. lin. 13. 14. methodorum ſolertium & ingenioſarum.
111. lin. 8. *Bartholemaeus.*
lin. 18. *Bartholemaeo.*
113. lin. 21. *Lemenium* poſtea poenituit.
163. lin. 5. *Poſt verba* -- Commiſſarius curiae -- *uſque ad* -- Monachorum indignationem -- *omnia inducenda delendaque ſunt, atque eorum loco ſubſtituenda inſequentia:* Anno MDCCI. Pontificis Maximi iuſſu *Franciſcum Diaz*, συμμύςην ſuum, qui primariis muneribus in Franciſcana familia Romae fungebatur, Pontificiis Miniſtris, carceri mancipandum, tradidiſſet; ideoque aliquorum.
195. lin. 9. *Marcelli Malaſpinae.*
196. lin. ultim. *procedere menſtrua iuſſit.*
209. lin. 13. 14. ad Pontificem Maximum *Clementem XI.*
212. lin. 3. ſolum *Nama.*
222. lin. 7. Deiparae.
lin. 15. conſulat.
223. lin. 22. natali.
lin. 32. *Poſt illa verba* -- tyrocinii exacto -- *uſque ad* -- Senam Rhetoricen &c. *omnia deleantur.*
231. lin. 8. ita ſcripſi.

252.

252. lin. ult. *poſt verba illa* -- nactus eſt -- *inſeratur* -- Tanti autem *Coſmas III.* Magnus Dux *Grandium* faciebat, ut hoc anno MDCCXIV. *Caſinio*, Cardinali S. Priſcae, ſcripſerit, rogans, ut ab Pontifice Maximo impetraret, ut *Grandius* Provinciae Tuſciae Monachum profeſſus inter Camaldulenſes declararetur, & titulo tenus eiuſdem Provinciae Abbas renunciaretur; quod quidem contigit, quum anno MDCCXVI. *Clemens XI.* hoc honore & beneficio *Grandium* auxerit.
262. lin. 6. *poſt verbum* -- compoſuit -- *addatur* -- Anno MDCCXXVI. *Dominicus Cattaneus* hiſtoricam oppidi Balneonis deſcriptionem in Maſſa Carrarienſi formis excuſam *Grandio* dicavit.
265. lin. 5. 6. Salmaſii.
267. lin. 2. *poſt verba* -- ſtudio remiſit -- *addatur* -- Quare, quum in Regiam Londinenſem Societatem iam cooptatus fuiſſet, Societatis illius Secretarius *Gulielmus Ruffy* Medicus anno MDCCXXVIII. *Grandio* ſcripſit rogans, ut quidquid in Philoſophia naturali notatu dignum eius obſervationi occurreret, de eo omni, quale quale eſſet, ſe per litteras certiorem facere dignaretur. At non intra hoſce limites *Grandius* ſubſtitit.
lin. 9. 10. *poſt illa* -- Tomo XX. -- *addatur* -- Hoc eodem anno a Pontifice Maximo *Grandius* iterum ad Bononiam,

alias-

aliasque Galliae Ciſalpinae terras miſſus eſt, Rheno intra convenientes ripas coercendo operam una cum aliis Mathematicis daturus, cui rei tunc Cardinalis S. Agnetis praeerat. Piſis autem, quum in *S. Michaelis* Monaſterio *Grandii* effigies collocata fuiſſet, inſequens Inſcriptio ei ſubpoſita eſt.

Guidoni Grandio Ordinis Camaldulenſis. Omnium fere diſciplinarum cultori praeſtantiſſimo. Mathematicarum vero in Piſana Academia Profeſſori longe celeberrimo. Huius Monaſterii, quod vetuſtate obſoletum & male materiatum honorifice & eleganter reſtauravit, ac pene a fundamentis erexit, Abbati vigilantiſſimo. Monachi veluti parenti optimo in grati animi teſtimonium obſequentiſſimi poſuerunt. Nonis Maii MDCCXXIX.

274. lin. 16. *poſt verba illa* -- Villa extructa -- *addatur* -- in qua inſequens Epigraphe legitur:

Reverendiſſimus. D. Grandius. Abbas
Viſitator. Camaldulenſis. Mathem. Diſciplinae
In. Piſana. Academia. Prof. ampliſſimus
Poſt. quam. Piſis. ingenti. ſumptu
Monaſterii. S. Michaelis. ab. ipſo. reformati. decori
et. ornamento. proſpexit
De. Monachorum. ſalute. cogitans
Villam. hanc. ſalubri. ſub. Coelo

a.

a . fundamentis . erexit
Cuius .beneficii . & liberalitatis . eiuſdem Monaſt.
Familia . memor . perenne. hoc . in . grati
animi . ſignificationem . M. P. A. C. MDCCXXXI.

279. lin. 23. *poſt verba* -- laudateque propoſuit -- *addatur* -- quo quidem anno *Clemens XII.* Pont. Max. honores omnes & privilegia *Grandio* conceſſit, quae iis Abbatibus, qui Generales ordinis univerſi fuere, competunt.

274. lin. 14. *poſt verba* -- Forzonium praefecit -- *addatur* -- Lubet autem in medium proferre Inſcriptionem, quam in hac ſua Bibliotheca anno MDCCXL. poſuit.

D. O. M.
Benedicto XIV. Pont. Max.
Sacra . profanaque . eruditione . clariſſimo
De . bonis . artibus, optume . merito
quod . quum . purpura . nondum . inſignitus
Eccleſiae . bono . dignitatique . conſuleret
Pluries . Bibliothecam . hanc . ſua . praeſentia . ornaverit
Guido . III. huius . Monaſterii . Abbas
Antiquo . patrono . ſui . amantiſſimo
Hoc . obſequii . gratique . animi . monumentum
P. C.
Anno . Domini . MDCCXL. Kal. Decem.

284. lin. 13. *Piſis 1726. apud Dominicum Carotti.*

300. lin. 14. *Servilianum Lactuadam.*

Digitized by Google

BNCF
[illegible] by Google